

John Carter Brown.

c

[illegible]


6-29

OPVSCVLVM

GEOGRAPHICVM RARVM, TOTIVS EIVS NEGOTII RATIONEM, MIRA INDVSTRIA ET BREVITATE COMPLECTENS,

IAM RECENS EX DIVERSORVM LIBRIS ac chartis, ſumma cura ac diligentia collectum & publicatum, per

IOANNEM MYRITIVM MELITENSEM, Ordinis Hoſpitalis ſancti Ioannis Hieroſolymitani, Commendatorem Alemanni Monaſterij, ac domus Ratiſponenſis.



INGOLSTADII.

Ex Officina Typographica WOLFGANGI *E*DERI.

ANNO

M. D. LXXXX.

RPJCB

CANDIDO LECTORI IOANNES MYRITIVS. S.

QVAMVIS amice Lector & candide, variis ac continentibus domeſticarum rerum occupationibus præpediti, parum aut nihil potiùs ad ſcribendum ſpacij hactenus habuimus, negare tamen ipſi non potuimus honeſtæ voluntati ac petioni ſtrenui ac vetuſtiſſimæ nobilitatis imaginibus, clariſſimi Viri D. PHILIPPI RIEDESEL à KAMBERG, Commendatoris in Erlingen, præſertim iuſta ac vtilia petenti. Quapropter nacti aliquantulum ocij, diuina nobis fauente gratia, res benè ceſſit. Quoniam verò in omni diſciplina id fructuoſiſſimum eſt addiſcenti, vt ſimpliciſſima quæque primùm appræhendat, idq́ ſimpliciſſimè; Sic etiam in Geographico ſtudio, non ita profuerit melius, quàm qualis in hoc libello conſpicitur breuis tractatio, ac inſtitutio. Nam hic quantum fieri potuit cauimus, cum ſumma legentium vtilitate, vt omnia ad Geographiam pertinentia ſimpliciſſimè traderentur. Quiſquis igitur hæc tenuiâ huius libelli elementa tenuerit, firma ac fixa memoria, huic nos promittere audêmus, facile ei fore, ſi magnos authores, qui hac de re copioſiùs ſcripſerunt, aggrediatur, vt facillimè ſe inde expediat. Hanc ergò opellam noſtram boni conſule, & vale, maiora ſuo tempore (ſi vitam nobis DEVS prorogauerit) accepturus, non modò ingrata inimicis, ſed amicis, ac bonarum literum candidatis, quàm gratiſſima. Eme igitur, lege, & fruere Lector humaniſſime, & iterum fœliciter in CHRISTO IESV, vale.


AVREA MEDIOCRITAS
PHILIPPVS RIEDESEL À KAMBERG EQVES AVRATVS,
COMMENDATOR IN ERLINGEN, AC HIEROSOLYMITANÆ
MILITIÆ PER GERMANIAM QVÆSTOR. 1 5 8 7.

STRENVO VEREQVE NOBILI DOMINO PHILIPPO RIEDESEL A KAMBERG, COMMENDATORI IN ERLINGEN, AC HIEROSOLYMITANÆ Militiæ per Germaniam Quæſtori, IOANNES MYRITIVS MELITENSIS, gratiam & pacem Domini IESV, precatur.

CVM quorundam doctorum virorũ beneuolo conſilio, & crebris adhortationibus, libellum hunc Geographicum, Typographi prælis publicandum deſtinarem, mihiqúe Mecœnatem quendam & patronum magnificum & doctum, cuius ſub protectione & præſidio in publicum exiret circumſpicere ac inueſtigare neceſſum foret, commodũm tu mihi occuriſti, Vir clariſsime, vt quemadmodũ in colligendo mihi fuiſti primarius author, ſic etiam in edendo patronus ſolicitus eſſe non deſeras. Scio enim te huiuſmodi ingenuas artes, earúmq; Profeſſores, magni facere, & in ſumma veneratiõe habere. Proinde accipe ſereno placidóq; vultu, hoc

literarium munus, tenue quidem illud & leui-denſe, ſed amoris mei erga te certum ſignum, ac perpetuæ obſeruationis ΜΝΗΜΌΣΥΝΟΝ quod per-legere & perluſtrare, méque pari officio gratia & benignitate amplecti, defendere & tueri (vt hactenus) non graueris. Id vbi abs te impetratum fuerit, erit, vt ad id genus alia excerpenda & comportanda, me allicias accendáſq;. Interim ego meis ad Deum Opt. Max. precibus indeſinenter fundendis tui, quoad viuam meminero, vt diuina ipſius clementia, ſuo in patrocinio atque tutela, te quàm diutiſsimè nobis ſaluum, incolumémq; in plurimos annos, conſeruare dignetur, Amen.

Bene & fœliciter ſemper valeas, & Myritium tuum tibi addictiſsimum, quod facis, commendatum habere perge. Ex Alemanni Monaſterio. Pridie Idus Februarij, Anno Virginei partus, ſupra ſeſquimilleſimum, octogeſimo ſeptimo. Ætatis verò meæ, Quinquageſimo tertio.

PRI-

PRIMA PARS HVIVS OPVSCVLI DE PRINCIPIIS ASTRONOMIÆ ET GEOGRAPHIÆ.

CAPVT PRIMVM.


De Geographia, & quo differat à Coſmographia, Chorographia, ac Hydrographia.

CVM nullius rei inſtitutio, à ratione ſuſcepta, rectè intelligatur, quæ non à definitione proficiſcitur, velut ait Cicero libro officiorum primo, videbimur nō abs re cùm de Geographia paucula quædam dicturi propoſuimus, vt videamus in primis quid ſit, & quomodo differat à Coſmographia, Chorographia, ac denique Hydrographia. Eſt igitur Geographia, vt inquit Ptolemæus in principio libri primi, imitatio picturæ totius partis terræ cognitæ, cum ijs, quæ ſibi quaſi vniuerſaliter ſunt annexa. Quam ſcripsêre Plinius, Pomponius Mela, Herodotus, Solinus, Dionyſius Apher, ac multi alij noſtra ætate celeberrimi viri. Coſmographia verò eſt vniuerſi orbis, qui ex terra, aqua, aëre, igne, Sole, Luna, ac ſtellarum circulis, climatibus inſuper, zonis ac parallelis, ex quibus, totum illud aggregatur, deſcriptio. Sed Chorographia, quam et Topographiam vocare licet; Eſt alicuius propriè loci vel Regionis deſcriptio, in qua omnia contenta in ea deſcribuntur, veluti monticuli, portus, villæ, riuuli, mœnia, & minutiſsima quæq;, & ideò Chorographus opus habet pictura; Geographus verò minimè, ſed potiùs Mathematica inſtitutione. Hydrographia deniq; eſt, quæ non ſolùm docet nos inſcribere tabulis varia ventorum delineamenta, ſed etiam totam illam terreſtrem machinam, & eſt neceſſaria tantummodò nautis.

CAPVT SECVNDVM.

De mundo eiuſq́ue partibus vniuerſalibus.

Mundum ſubſtantiam eſſe corpoream, complectentem ordine ſuo, cœlum & terram, & eas naturas, quæ cœlo terraq́ue continentur, eumq́ue in Elementarem & Æthercam regionem diuidi, dubium eſſe nulli arbitror. Quarum quidem elementaris regio eſt, quæ ex quatuor elementis conſtat. Eſt autem elementum corpus ſimplex, quòd in partes diuerſarum formarum



minimè diuidi poteſt, ex cuius cõmixtione diuerſæ generatorum fiunt ſpecies. Quorum quidem ordo ac ſeries, vt hactenus ab omnibus receptus

ceptus eſt, Aſtronomis eſt talis: Nempe quòd inferiorem locum obtineat terra, deinde aqua, poſtea aer, ignis ſupremum. Si enim inferius terra eſſet aliquid, terra naturaliter grauis ad illud tenderet. Grauia enim naturaliter tendunt deorſum. Si verò aliquid ſupra ignem eſſet, ex leuitate ad illud tenderet, & diſſolui quæreret ab aliis. Hac ratione iuxta terram poſita eſt aqua, quia cùm naturaliter grauis ſit, & ſi non quantum terra, ſecundum locum obtinere debuit. Deinde eſt aër, qui quia grauior igne, & leuior aqua, meritò inter vtrunq; ponitur. Ætherea verò eſt, quæ vndecim complectitur Sphæras, quarum infima, hoc eſt, prima poſt Elementarem regionem Lunæ eſt, quæ diebus 27. horisq; quaſi 8. Zodiacum perambulat. Secunda Mercurij, quæ 338. diebus voluitur. Tertia Veneris, quæ 348. diebus reducitur. Quarta Solis annuam, hoc eſt, 365. dierum & 6. horarum ferè habens reuolutionem. Quinta Martis duorum annorum complens reuolutionem propriam. Sexta Iouis, quæ duodecimo anno ſuum complet circuitum. Septima Saturni triginta annis curſum ſuum peragens. Poſt hanc ſequitur Firmamentũ ſcilicet ſtellatum cœlum, quæ octaua Sphæra dicitur, & à Græcis ΑΠΛΑΝΙΣ. *Nona Sphæra, quod aqueum ſiue Chryſtallinum cœlum dicitur. Decima Sphæra, quod eſt primum mobile, & vndecima, quod Empyreum cœlum à Theologis nuncupatur, habitaculum nempe Omnipotentis Dei, & omniũ electorum. Dictum autem eſt Empyreum tanquam igneum, non quidem ab ardore, ſed ſplendore.*

Proprietates ſeu naturæ Elementorum.

Ignis,	calidus & ſiccus rariſſimus, ſimpliciter leuis ſupremum	Sibi vendicans locũ.
Aër,	humidus & calidus, rarus & reſpectiuè leuis ſuperiorem	
Aqua,	frigida & humida denſa reſpectiuè grauis inferiorem	
Terra,	ſicca & frigida denſiſſima ſimpliciter grauis infimum	

B *Ordo.*

Ordo Natur.	ꝗ ad nos.	Nomina.	Figuræ.	Colores.	Naturæ Planetarum.
1.	7.	Saturnus.	♄	Plumbeus.	Frigidus & ſiccus, maleuolus.
2.	6.	Iupiter.	♃	Stagneus.	Calidus & humidus, beneuolus,
3.	5.	Mars.	♂	Chalibeus.	Calidus & ſiccus, maleuolus.
4.	4.	Sol.	☉	Aureus.	Calidus & ſiccus, beneuolus.
5.	3.	Venus.	☿	Cuprea.	Frigida & humida, beneuola.
6.	2.	Mercurius.	♀	Argenteus.	Eius cum quo graditur naturæ.
7.	1.	Luna.	☾	Argentea.	Frigida & humida, beneuola.


CAPVT TERTIVM.

De motibus Corporum totius vniuerſi.

MOVETVR *autem omne corpus motu triplici, ſcilicet ſurſum, deorſum, ac circulariter. Motu ſurſum mouentur leuia, vt ignis & aër, vocaturq́; motus à medio, id eſt centro terræ. Motu deorſum mouentur grauia, vt terra & aqua, vocaturq́; motus ad medium, quia ad centrum terræ. Motu circulari mouentur corpora cæleſtia, vocaturq́; motus circa medium, id eſt, centrum. Notandum autem, quòd motus ſurſum ac deorſum non in infinitum ſunt, ſed vſque ad Sphæram Lunæ, ac centrum terræ. Ex his igitur manifeſtum eſt Antipodas non minus quàm nos ad centrum naturaliter tendere terræ. Recteq́; à Poëta dictum eſſe, cælum vndique ſurſum. Cælum enim ab omni parte terrae aequabiliter diſtat, & vt à noſtra habitatione, ita & à lateribus & à parte, quae ad nos habetur inferior, pari altitudinis immenſitate ſuſpicitur. Niſi ergò omnia pondera ferrentur in terram, imbres qui extra latera terrae defluunt, nō in terram, ſed in cœlū caderent, quod vilitatem ioci ſcurrulis excedit. Eſto enim terrae Sphaera cui adſcripta ſunt A.B.C. circa hanc ſit aëris orbis, cui adſcripta ſunt E.F.G.L.M. & vtrunq; orbem, id eſt, terræ & aëris diuidat linea ducta ab E. vſq; ad L. erit ſuperior iſta quam poſſidemus, & illa ſub pedibus. Niſi enim caderet omne pondus in terram, paruam nimis imbrium partem terrae ſuſciperet, ab A. vſque ad C. Linea verò aëris, id eſt, ab F. vſque ad E. & à G. vſque ad L. humorem ſuum in aërem deijcerent. De inferiore autem cœli hæmiſphaerio pluuia exteriora & ideò naturae incognita deflueret, ſicut oſtendit ſubiecta deſcriptio. Sed hoc vel refellere dignatur*

ſermo

ſermo ſobrius, quod ſic abſurdum eſt, vt ſine argumentationis patrocinio ſubruatur. Reſtat ergò vt ad cæterarum Sphærarum motus ſermonem dirigamus.



Sphæra igitur decima, quæ & primũ mobile vocitatur, vnico mouetur motu, ſcilicet ab oriente in occidentem, ſuper polos Mundi, & Æquinoctialem, abſoluitq; totum circulum intra 24. horas. Qui quidem motus corpora inferiora omnia ſecum rapit: & vocatur motus ſimplex vniformis & regularis. Poſt hanc Sphærã ſequitur Nona, duos habens motus. Superioris Sphæræ; Vnum, de quo iam dictum eſt. Alterum ex ſe, ab occaſu ad ortum ſuper Eclipticam, & polos Zodiaci, vocaturq; motus defectionis, eò quòd omnes inferiores Sphæræ deficiunt à motu & perfectione primi Mobilis. Hanc ſequitur octaua Sphæra, quod Firmamentũ & Stellatum cœlum dicimus, tres motus habens. Primus eſt, quo 24. horis voluitur ab Ortu in Occaſum, raptu decimæ ſeu primi Mobilis. Secundus perficitur ſpacio 49. milium annorum, quod interuallum Platonici magnũ vocant annum. Nam vt vertentem nos ex reditu Solis in idem punctum vnde proceſſit, vocamus, ita in anno Platonico redibunt ſydera omnia ad eundem ſitum, à quo moueri primum cæperunt. Præter iſtos tertium adhuc habet, quem acceſſus & receſſus Stellarum fixarum aut trepidationis motum vocarunt. Nam in duobus paruis circulis circa principia Arietis & Libræ nonæ Sphæræ trepidat, & pertrahit ſtellas ab Auſtro in Aquilonem, atq; à Septentrionibus in meridiem. Quoties enim caput Arietis octauæ huius Sphæræ, eſt in ſuperiori parte circuli parui, tũc à ſeptentrione verſus meridiem permouetur. Rurſus, quando fuerit in parte inferiori, tunc à meridie verſus ſeptentriones mouetur. Hic motus temporibus Ptolomæi fuit prorſus incognitus. Et hoc propter inopiam obſeruationum; ſed poſteriores, qui temporibus Alphonſi diligentiſſimi cœleſtium motuum indagatoris fuerunt, facta obſeruatione maximæ Solis declinationis, inuenerunt eam minorẽ, quàm priores; vnde concluſerunt ſtellas fixas non eſſe in nona Sphæra, ſed in

alia, quæ ei contiguè ſit coniuncta, cuius motus fiat in duobus circulis ſuper capite Arietis & Libræ nouæ Sphæræ, vt ſupra dictum eſt, qui quidem motus ei proprius eſt, reliqui duo accidentales.

CAPVT QVARTVM.

De terræ rotunditate contra pleroſque Philoſophos.




TERRAM globoſam ſiue rotundam eſſe ab ortu ad occaſum, patet à ſignis, quæ oriuntur & occidunt. Nam propter tumorem terræ, aſtra orientia nobis priùs apparent, quàm illis, qui occidentaliores nobis ſunt. Ab Auſtro verò Septentrionem verſus inſinuant aſtra circa polum Arcticũ nobis perpetuò apparentia, & nunquam occidentia, & illa quæ circa Antarcticũ ſunt, perpetuoq; nobis occulta. Item ſi terra eſſet plana ab oriente in occidentẽ, tàm citò orirentur ſtellæ occidentalibus, quàm orientalibus, ꝙ patet eſſe falſum. Similiter ſi terra eſſet plana à ſeptẽtrione in Auſtrũ; & è cõtra, ſtellæ, quæ eſſent alicui ſempiternæ apparitionis, ſemꝑ apparerent eidẽ quocunq; procederet, quod eſt ſimiliter falſum. Rurſum ſi terra eſſet tetragona, vmbra quoq; tetragonalis figuræ in eclipſatione Lunari appareret. Quòd ſi trigona, vmbram quoq; triangularẽ habere formulam, neceſſarium eſſet. Et ſi hexagonalis eſſet figuræ, eius quoq; vmbra in defectu Lunari hexagonalis appareret, quæ tamen rotunda cernitur: id quod ex ſchemate hoc manifeſtè demonſtratur. Non igitur plana eſt terra, vt Empedocles & Anaximenes opinati ſunt, neq; Tympanoides, vt Leucippus, neque Scaphoides, vt Heracletus, nec alio modo caua, vt Democritus. Neque rurſus Cylindroides, vt Anaximander, neq; ex inferna parte infinita radicitùs craſſitudine ſubmiſſa, vt Xenophanes, ſed rotunditate, vt veri Philoſophi doctiſſimiq; viri ſentiunt abſoluta.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

De Sphæra ac decem in ea circulis.

SPHÆRA iuxta Theodoſii, & omnium Mathematicorum definitionem eſt ſolidum quoddam vna ſuperficie contentum, in cuius medio punctus eſt, à quo omnes lineæ ad circumferentiam ductæ inuicem ſunt æquales. Punctus autem ille in medio exiſtens Sphæræ, dicitur centrum mundi. Axis verò



Sphæræ eſt linea illa tranſiens per medium centri, & per polos mundi, circa quam Sphæra voluitur. Sunt enim poli, qui cardines & vertices dicuntur, duo illa puncta Axem terminantia, quorum alter eleuatur, alter verò deprimitur ſub Horizonte illis, qui vltra citraq; Æquatorem habitant, vnde Homerus ille Mantuanus libro primo Georgicorum.


„ Hic vertex (*inquit*) nobis ſemper ſublimis, at illum
„ Sub pedibus Styx atra videt, maneſq; profundi.


Habitantibus autem ſub Æquatore neuter illorum eleuatur. Horum vnus, qui nobis ſcilicet apparet Arcticus & Borealis, Septentrionalis & Aquilonaris dicitur. Alter verò, qui nobis occultatur huic oppoſitus, Antarcticus & Noticus, Meridionalis & Auſtrinus.

De ſex circulis Sphæræ maioribus.


HOrizon (quem Finitorem vocamus) circulus eſt,qui diuidit ſuperius hæmiſphærium ab inferiori. Eſt autem duplex. Rectus ſcilicet & obliquus. Rectus eſt,qui vna cum Æquatore angulos æquales conſtituit. Obliquus verò,qui angulos inæquales efficit, & hoc non aliam ob cauſam, quàm pro diuerſa hominum habitatione.

Exemplum Horizontis recti. Exemplum Horizontis obliqui.





Meridianus circulus, quem Aſtrologi cuſpidem regalem vocant, eſt qui tranſit per polos mundi & per Zenith capitis noſtri (eſt autem Zenith punctus in firmamento directè ſuprapoſitus capitibus noſtris, cuius oppoſitus Nadir dicitur) in quem cùm Sol peruenerit,meridiem ſupra Horizontem; infra verò mediam noctem conſtituit. Cùm autẽ volueris lineam meridianam propè verum habere, præpares tibi planum aliquod in Horizonte, in quo deſcribas circulum ſecundùm animi tui libitum, fingaſq; ſtilum in medio circuli perpendiculariter: quo facto animaduerte vmbram antemeridianam diligenter,donec extremitas eius tetigerit periphæriam circuli, ibiq; facias ſignum. Simili modo tibi operandum eſt cum vmbra pomeridiana. Deinde diuide circino diſtantiam illam punctorum, trahaſq; lineam à centro circuli vſq; ad medietatem illius ſpatij,& habebis lineam meridianam, quæ longè verior eſt illa,quæ per compaſſum nauticum inuẽitur. Nam linea pixidis,ſi horologium perfectum ſit, paululùm ad orientem inflectitur à linea meridiei, cuius rei cauſa nihil aliud eſt, quàm ſitus lapidis. Lapis autẽ ea parte vires recipit, quoniã ortum ſtellæ in cauda Vrſæ minoris,quæ quinque partibus orientalior eſt polo mundi, reſpicit. Sed exemplo res lucidior fiet. Sit circulus A.B.C. D. in cui' centro E. ſit erectus ſtilus perpendiculariter. E. F. vmbra ab oriente in occidentem iacta E. G. vmbra pomeridiana




ana ab occidente in orientem ſimiliter porrecta. Arcu igitur F. G. æqualiter diuiſo in puncto B. erit D. B. vera linea meridiana quam quærebas.

Æquinoctialis circulus eſt qui diuidit Sphæram ſeu cœlum in duo æqualia ſecundùm quamlibet ſui partem æquè diſtans ab vtroq; polo. Sic dictus quoniam quando per illum ſol tranſit (quod contingit bis in anno, ſemel ſcilicet menſe Martio in principio Arietis, iterum menſe Septembri initio Libræ) æquinoctium facit in toto terrarum orbe.

Zodiacus circulus eſt obliquus Sphæræ, & diuiditur in duodecim partes, quæ ſigna appellantur, vnde Poëta.

Per duodena regit mundi Sol aureus aſtra.

Et vnumquodq; iſtorũ ſignorũ diuiditur in triginta partes æquales, qui gradus vocantur. Gradus rurſum diuiditur in ſexaginta minuta. Minutũ in 60. ſecunda. Secundũ in 60. tertia. Similer quæ ſequũtur, Quarta ſcilicet & Quinta diuidendo per 60. vſq; ad infinita. In media autem Zodiaci ſuperficie linea eſt diuidens ipſum in duas partes inuicẽ æquales, & vltrò citroq; ſex latitudinis gradus relinquens. Hæc



Eccly-

Ecclyptica dicitur, ſub qua Sol totũ orbem ambit ſexaginta gradibus & 300. Dicitur autem Ecclyptica, quia Solis Lunæq́ ecclypſes nunquam contingunt, niſi ſub ea ambo corpora conſiſtant.

Coluri duo circuli ſunt in Sphæra, quorum alter colurus ſolſtitiorum dicitur. Alter verò Æquinoctiorum. Colurus ſolſtitiorum eſt, qui tranſit per polos mundi & per principia Cancri & Capricorni, quæ ſolſtitia appellantur, vnde habet nomen. Arcus verò coluri, interceptus à tropico Cancri & Æquatore dicitur maxima ſolis declinatio Borealis, & eſt 23. graduum & 28. minutorum. Similiter ex oppoſita parte, arcus à tropico Capricorni & Æquatore intercluſus dicitur alia maxima Solis declinatio auſtralis, & eſt æqualis priori.

Alter verò colurus ſcilicet Æquinoctiorũ eſt, qui tranſit per puncta æquinoctialia, hoc eſt per principia Arietis & Libræ & polos mundi. Hi duo circuli Sphæram ipſam & ſe inuicem in duo æqualia ſecant.

De quatuor circulis minoribus.

T*ROPICVS Cancri circulus eſt minor Sphæra, quem quotieſcunque Sol tangit, diem longiſsimum; noctem verò breuiſsimam conſtituit.*

Tropicus Capricorni circulus eſt etiam minor Sphæra, quem quoties Sol tangit, noctem longiſsimam; diem verò breuiſsimum facit. Hinc fit, quòd Sol bis in anno æquinoctiũ tangit, ſemel circulum Cancri ſemel etiam Capricorni.

Arcticus circulus eſt, qui deſcribitur ex primo pede Vrſæ minoris diſtans à polo mundi ex omni parte 23. gradibus 28. minutis.

Antarcticus verò circulus eſt, qui deſcribitur à polo Zodiaci Antarctico aequè diſtans, & aequalis Arctico.


Corollarium primum.

D*ISTANTIAM polorum Zodiaci & Æquatoris, quae tanta eſt, quanta maxima Solis declinatio, non ſemper eandem eſſe, ſed diuerſis temporibus variari frequenti indagatione compertum eſt. Siquidem Cl. Ptolemaeus, quem tantùm non adoramus, & ante ipſum quadringentis propemodùm annis Ariſtarchus Samius, & Timochares obſeruarunt eam eſſe 23. grad. 51. minut. & 20. ſecund. Ab illorum verò temporibus vſque ad nos paulatim comperta eſt decreſcere. Nam Mahometes Aratenſis poſt Ptolomaeum annis 749. depraehendit 23. grad. 35. minutorum. Qui verò ad noſtra acceſſerunt tempora nempe Ioannes Wernherus Norimber-*

rimbergenſis, Nicolaus Copernicus Torinenſis, & Gemma Friſius vir ſanè perſpicaciſſimus, 23. graduum & 28. minutorum deprahenderunt, & annotarunt eſſe.

Corollarium ſecundum.

NOtandum præterea, quòd aliter Latini, & aliter Græci imaginantur deſcribi Arcticos circulos. Nam hos Latini pingunt iuxta maximã Solis declinationem, quæ ex motu trepidationis octauæ Sphæræ variatur ſecundùm incrementum aut decrementum declinationis Solis, vt iam dictum eſt. Numerant enim à polis Mundi maximam Solis declinationem, & puncto facto immittunt in polum vnum circini pedem & reliquum in punctum eius factum, & iuxta hanc extenſionem formant ipſi Arcticos. Sed Græci formant eos iuxta altitudinem poli. Hinc fit, quòd circuli ſint varij ſecundùm diuerſas poli altitudines. Nam ſi altitudo poli fuerit parua, erunt etiam iſti circuli parui; ſi magna, magni. Et cùm voluerint eos deſcribere, ponunt alterum pedem circini in polos, & alterum extendunt in colurum diuiſum vſque in poli altitudinem, & iuxta hanc formant ipſi circulos Arcticum ſcilicet, & Antarcticum, & hi circuli ſemper tangunt Horizontem in puncto. Lege de hac re Leontium de præparatione Sphæræ Arati, & Procli Diadochi libellum de circulis Sphæræ.


¶ ZENITH.
POLVS MVNDI.
MERIDIANVS MOBILIS.
SOLSTITIORVM
TROPICVS CANCRI
ARCTICVS
ZODIACVS
COLVRVS
AEQVINOCTIORVM
CIRCVLVS
ZODIACI
MVNDI.
TROPICVS
HORIZON.
OBLIQVVS
AEQVINOCTIALIS.
AXIS
ANTARCTICVS
COLVRVS
AXIS
CAPRICORNI
CIRCVLVS

CAPVT SEXTVM.

De reliquis circulis, qui præter hos decem in Sphæra imaginantur.

ABſurdiſſimũ eſt putare in cœlo eſſe lineas, centra, circulos, arcus, Zenith, auges ſeu apogeia & ſimilia. Docendi tamẽ gratia ſolertiſſimi viri ſunt talia cõmenti, q̃ niſi fuiſſent excogitata, nulla ratione regreſſus, progreſſus, & ſtationes Planetarum, ſtellarũ item motus, ortus & occaſus, coniunctiones Luminariũ, ſimiliter & ecclypſes cõprahendere poſſumus. Nihil enim horũ omniũ, quæ in Theorijs finguntur, ocioſum eſt, quia ſuũ quodlibet habet officium. Quapropter præter hos iam enumeratos decẽ circulos, ſunt adhuc alij in Sphæra imaginandi, vt ſunt Azimuth, & ſunt circuli imperfecti, quos Latini vocant circulos verticales, eo ꝙ per punctũ verticalem, id eſt Zenith, omnes tranſeant, & diſtinguunt Horizontẽ in 360. partes, quos nõnulli circulos rectitudinũ nominant, ex eo quòd per eos rectè ſcimus, in qua parte mundi ſtella oriatur atq; occidat. Inter quos etiam Meridianus numeratur. Sed inter hos eſt vnus, qui propriè verticalis dicitur, qui à vertice decurrit hinc inde ad ea puncta Horizontis, vbi Æquator & Horizon ſeſe ſecant, & veri ortus & occaſus puncta vocantur.

Sunt item Almicantarath, id eſt circuli aut arcus ꝓgreſſionum, aut altitudinũ & depreſſionũ Solis, Planetarũ & Stellarũ, & ſunt deſcripti in hæmiſphærio ſeu immediatè ſuperiori verſus Zenith cõputando de 6. gradib⁹ in 6. Quorũ quidã ſunt perfecti, quidam imperfecti, & primus horũ dicitur Horizon, Finitor aut Finiens obliquus, hoc eſt terminator viſus in Sphæra obliqua: quia ipſe diuidit & diſterminat hæmiſphærium ſuperius ab hæmiſphærio inferiori, & quicquid eſt ſub illo circulo, eſt ſub Horizonte nobis occultatum; quicquid autẽ eſt ſupra, nobis apparet.

Tertio imaginantur in cœlo circuli horarij, qui deſcribuntur ex polis mundi, à quibus vnà cum Meridiano totum Æquatorẽ diuidunt in 24. partes inuicem æquales & à ſe inuicem 15. gradibus diſtant, horarumq; æqualium diſcrimina efficiunt. Circulos autem hos Zodiacũ, verticalem, & Horizontalẽ inæqualiter ab Æquatore diſtantes in 24. inæquales ſecant partes. Mediantibus horum circulorum intercapedinibus in Horizonte & verticali circulo fabricãtur varia ſolaria, Horologia & Inſtrumenta. Verùm ne nimia circulorum ſeu arcuũ concurſio ac perplexitas aſpicientibus confuſionẽ ingerat, ſatis ſit pro clariore intellectu ad Meridianum circulum quendam paruulum pro arbitrio adaptare, circum polum mundi Arcticum diuiſum in 24. horas, qui

Cyclus horarius ob hoc dicetur dimiſsis interim huiuſmodi circulis, vt in ſequenti videre eſt figura.

Eſt & Declinationis circulus, qui ex vtriſq; polis Mundi ductus ſecat Æquatorē ad angulos rectos, in quo numerantur Syderum declinationes tùm ad Meridiem, tùm ad Septentrionem ab Æquatore.

Hinc ſequitur circulus Latitudinis, qui deſcribitur ex polis Zodiaci & diſpeſcit Zodiacum ad angulos rectos, in quo numerantur Latitudines Syderum à Zodiaco vel Auſtrales vel Aquilonares.

Sexto excogitauerunt Aſtronomi prodeuntē ſemicirculum ex ſectionibus Horizontis cū Meridiano, qui appellatur circulus Poſitionis ſeu ſi cū Firmico loq; placet, circulus Stationis, ſine cui' cognitione tota ars dirigendi (opus præcipuū Aſtrologiæ iudiciariæ) eſt vana ac impfecta.

Poſtremo ſunt circuli, quæ cuſpides vocantur, diſtinctores ſcilicet domorum cæleſtium, qui prodeunt ex eiſdem ſectionibus Horizontis & Meridiani, quibus annumerantur Meridianus & Horizon, quorum officium eſt diſtinguere cælum in duodecim partes, quæ domus ſeu anguli appellantur. Sed vt horum circulorum arcus ac delineamenta quilibet meliùs percipere poſsit, ſubſequens capiatur figura.


Corollarium.

SCiendum autem, ꝙ Machina hæc Sphæræ cæleſtis, olim vitro, non vt nunc metallo fieri ſolita erat, quoniā cùm eſſet æmula verè cæli, includebantur minores orbes maiorib', quamobrē qui intus erant & ſydera, ſpectari nō potuiſſent, niſi omnes ex materia perſpicua cōflati fuiſſent. Sed qui nunc has faciunt, vitri fragilitatē verentes, coguntur non naturalem mundi machinā æmulari, orbē orbi circūponendo: quoniam cùm ex metallo ſint, videri nō poſſunt, ſed quot ſunt orbes, tot efficiunt circulos vel tabulas. Ex quo manifeſtum eſt, antiquā ſtructuram longè hac noſtra (licet diuturnior ſit) nobiliorē fuiſſe ac pulchriorem. Sic referunt Sabor Regem Perſarū huiuſmodi machinā tàm grandem è vitro conſtrui feciſſe, vt in eius centro ſederet tanꝗ in terræ Sphærula, ſpectantē ſub pedibus etiam aſtra, exorientiaq; ac occidentia ſydera, vt ſic mortalis cùm eſſet, ſupra tamē omnem mortalitatis faſtum & expectationem eſſe videretur. Huiuſmodi quoq; rei teſtis Claudianus eſt, præter etiam Ciceronis autoritatē. Sed libet ipſius carmina recitare, dubij cuiuſdam cauſa:

Iuppiter in paruo cū cerneret æthera vitro,
Riſit, & ad ſuperos talia dicta dedit:
Húccine mortalis progreſſa potentia curę?
Iam meus in fragili luditur orbe labor.
Iura poli, rerumq; fidem legesq; deorum,
Ecce Syracuſius tranſtulit arte ſenex.
Incluſus varijs famulatur ſpiritus aſtris,
Et viuum certis motibus vrget opus.

Per

Percurrit ꝓprium mentitus ſignifer annū,
Et ſimulata nouo Cynthia menſe redit,
Iamq́; ſuū voluens audax induſtria mundū,
Gaudet, & humana ſydera mente regit.
Quid falſo inſontē tonitru Salmonea miror?
Æmula naturæ parua reperta manus.



CAPVT SEPTIMVM.

De Zonis.

ZONA eſt ſpacium de ſuperficie cœli, ac eadem proportione terræ inter duos circulos minores comprahenſum: & numerantur quinq́; quarum media, & duæ extremæ dicuntur ab authoribus inhabitabiles eſſe, illa propter calorem Solis, eo quòd fermè Sol ſemper per Zenith illorum tranſeat. Hæ verò propter nimium frigus: quod tamen referendum eſt ad ſecula Ptolemæi, Melæ & aliorum antiquorum. Nam noſtra tempeſtate experientia ipſa contrarium nos docet, id quod etiam rationibus non leuioribus demonſtratur. Ibi nimirum eſſe optimam habitationem, vbi eſt maxima temperies: ſub Æquinoctiali autem eſt maxima temperies, quia dies & nox ſunt ſemper æquales, & tantum poteſt infrigidari aër in nocte, quantum calefit in die. Item quia declinatio Solis maximè variatur ibi. Mutatur enim declinatio in vno die per 24. minuta: ideò fortè vix poteſt accidere, quòd Sol tranſeat directè ſupra capita eorum, quia hoc non accidit, niſi Sol intraret principium Arietis & Libræ rectè in ipſo meridie. Item Sol nunquam manet in eadem altitudine ſuper ipſos, ſed ſtatim in inſtanti variatur altitudo. Ita enim velociter, ſicut primū mobile mouetur, accedit ad meridiem, & recedit à meridie. Et vbi debet fieri magna calefactio, opus eſt quòd radij infigantur per aliquod tempus, ſicut videmus in ſpeculo ardenti. Si moueretur ſpeculum non incenderet feſtucas, vel aliam rem, quæ illi opponeretur.



CAPVT OCTAVVM.

De Parallelis.

*P*ARALLELI *(qui & ſegmenta dicuntur) æquè diſtantes ſunt, ita, vt ſi in infinitum protrahantur, nunquam concurrant. Hæc tamen intercapedine ab inuicem diſtant, vt dies vnius paralleli longiſsimus, ſuperet paralleli alterius diem prolixiorẽ, quarta ferè parte vnius horæ. Sunt autem duplices, Alij diſtingunt gradus latitudinum in mappa quinis aut denis gradibus; Alij verò diſtingunt differentias horarum diei artificialis, qui tamen non pinguntur in mappam, verùm marginibus apponuntur. De quibus vide Cl: Ptolemæum lib. 2. Almageſti, & alios, qui hac de re copioſiùs ſcripſerunt.*

DIVI-

DIVISIO PARALLELORVM

ORDO PARALLELORVM.	POLI ELEVATIO. G	M	MAXIMVS DIES. H	M	LOCA PER QVÆ SCRIBVNTVR PARALLELI.
Primũs.	4	15	12	15	Per Taprobanam.
Secũndũs.	8	25	12	30	Per Sinũm Aũalicũm.
Tertiũs.	12	30	12	45	Per Sinũm Adũlicũm.
Qúartũs.	16	25	13	0	Per Inſũlam Meroen
Qũintũs.	20	15	13	15	Per Nabatha.
Sectũs.	23	50	13	30	Per Syenen.
Septimũs.	27	40	13	45	Per Ptolemaidem.
Octaũũs.	30	20	14	0	Per Inferiorem Aegyptũm.
Nonũs.	33	20	14	15	Per Mediũm Phænicen.
Decimũs.	36	0	14	30	Per Rhodũm Inſũlam.
Vndecimũs.	38	35	14	45	Per Smyrnen.
Dũodecimũs.	40	55	15	0	Per Helleſpontũm.
Deoimũs tertiũs	43	5	15	15	Per Maſsiliam.
Decimũs qũartũs.	45	0	15	30	Per Pontũm.
Decimũs qũintũs.	48	30	15	45	Per Fontes Danũbii.
Decimũs ſextũs.	51	30	16	0	Per Boriſthenis Oſtia.
Decimũs ſeptimũs	54	0	16	15	Per Palñdes Meotidas.
Decimũs octaũũs.	56	0	16	30	Per Aũſtraliſsima Britanniæ.
Vndeũigeſsimũs.	58	0	16	45	Per Oſtia Rheni Flũũii.
Vigeſsimũs.	61	0	17	0	Per Egreſsiones Tanais.
Vigeſsimũs primũs	63	0	17	15	Per Brigantiũm.


Appendix.

QVOD ſupradictum eſt præcedenti capite, parallelos vno quadrante horæ ab inuicem diſcrepare intelligendum eſt, ab Æquatore, qui primus parallelorum eſt vſque in eum, qui per medium Hyberniæ tranſit. Nam ibi propter Sphæræ coartationem, non quadrantibus proceditur, ſed medietatibus, & paulò poſt totis horis. Id quod poſtea capite ſequenti ex Ptolemæi lib. 2. περὶ τῆς μεγάλης πραγματείας ſiue vt Alij Codices Græci inſcriptionem habent μαθηματικῆς συντάξεως, manifeſtè demonſtrabimus.

CAPVT NONVM.

De Climatibus.

CLIMA eſt ſpatium terræ inter duos parallelos compræhenſum, in quo porrectiſſimè ab initio climatis vſq; ad finem eiuſdem dimidiatæ horæ variatio eſt diei. Sortita ſunt autem nomina à locis inſignioribus ſcilicet aut ab inſulis, montibus, Vrbibus, aut fluminibus. Primum itaque dicitur Dia Meroes, à Dia, quod eſt per, & Meroen, quæ inſula eſt Ægypti, à Cambylis matre nomen ſortita, quam Strabo caput Æthiopici regni vocat, quia tranſit per medium eius. Secundum Dia Syenes, quia medi-



um tranſit per Syenen, quæ ciuitas eſt Ægypti ſub Tropico Cancri ſita ac principium Prouinciæ Thebaidos. Tertium Dia Alexandrias.

Quartum Dia Rhodon. Quintum Dia Rhomes. Sextum Dia Ponton. Septimum Dia Boriſthenes. Octauum Dia Rhipheon. Nonum Dia Danias. Oppoſita verò Climata ſcilicet Meridionalia habent eadem nomina, niſi quod præponenda eſt præpoſitio. Anti quæ è contra vel oppoſitum latinè ſonat, vt Anti Dia Meroes, Anti Dia Syenes, Anti Dia Alexandrias. Anti Dia Rhodon. Anti Dia Rhomes. Anti Dia Ponton, & ſic de reliquis. Notandum autem eſt quod vbi paralleli dimidiatis horis conſtituuntur, ibi Climata integris horis procedere neceſſarium quoque eſſe, & ſic ſequenter ad finem vſque parallelorum, ſeruata dupla ratione.

Tabula Climatum ſecundùm gradus & minuta Latitudinis, quo ad principia media & fines eorundem.

	Principiũ.		*Medium.*		*Finis.*	
Gradus Latitudinis.	G	M	G	M	G	M
Primum Clima.	12	45	16	20	20	30
Secundum Clima.	20	30	23	50	27	30
Tertia Climum.	27	30	30	20	33	40
Quartum Clima.	33	40	36	0	39	0
Quintum Clima.	39	0	41	20	43	10
Sextum Clima.	43	10	45	0	47	0
Septimum Clima.	47	0	48	40	50	30
Octauum Clima.	50	30	51	30	53	10
Nonum Clima.	53	10	55	0	56	0

CAPVT SEXTVM.

Tabula Parallelorum & Climatum ex Ptolomæi libro 2. Almageſti.

	Paralleli.	Horæ cũ partibus.	Eleuatio poli, ſiue elongatio parallelorum ab Æquatore.	Loca per quæ ſcribuntur Paralleli.	Ordo Climatum.
Æquinoctialis.	1	12	0	Per Mediam Aphricam.	
	2	$12\frac{1}{4}$	$4\frac{1}{4}$	Per Taprobanen.	
	3	$12\frac{1}{2}$	$8\frac{1}{3}\frac{1}{12}$	Per Aualicum ſinum.	I Clima.
	4	$12\frac{1}{2}\frac{1}{4}$	$12\frac{1}{2}$	Per Adulicum ſinum.	
	5	13	16.27.mi.	Per Meroen.	II
	6	$13\frac{1}{4}$	20.14. mi.	Per Napatos.	
Tropicus Cancri.	7	$13\frac{1}{2}$	23.51.20.	Per Syenen.	III
	8	$13\frac{1}{2}\frac{1}{4}$	27.40.mi.	Per Ptolemaida Thebaid:	
	9	14	30.22.mi.	Per inferiora Ægypti.	IIII
	10	$14\frac{1}{4}$	33.18.min.	Per mediam Phæniceam.	
	11	$14\frac{1}{2}$	36.	Per Rhodum.	V
	12	$14\frac{1}{2}\frac{1}{4}$	$38\frac{1}{2}\frac{1}{12}$	Per Smyrnam.	
	13	15	40.56.mi.	Per Helleſpontum.	VI
	14	$15\frac{1}{4}$	$43\frac{1}{4}$	Per Maſsiliam.	
	15	$15\frac{1}{2}$	54.1.min.	Per mediũ Pontũ Euxinũ.	VII
	16	$15\frac{1}{2}\frac{1}{4}$	46.51.mi.	Per fontes Iſtri	
	17	16	48.32. mi.	Per Boryſthenis oſtia	VIII
	18	$16\frac{1}{4}$	$50\frac{1}{4}$	Per mediam Mæotim.	
	19	$16\frac{1}{2}$	$51\frac{1}{2}\frac{1}{9}$	Per Agrippinã Coloniam.	IX
	20	$16\frac{1}{2}\frac{1}{4}$	52.50. mi.	Per Rheni oſtia.	
	21	17	54.1.mi.	Per Tanais oſtia.	X
	22	$17\frac{1}{4}$	55	Per Bullæum Britanniæ.	
	23	$17\frac{1}{2}$	56	Per mediam Britanniam.	XI
	24	$17\frac{1}{2}\frac{1}{4}$	57	Per Camolodunum Britan.	
	25	18	58	Per auſtrales par: Hyber:	XII
	26	$18\frac{1}{2}$	$59\frac{1}{2}$	Per medium Hyberniæ.	


	27	19	61	Per ſepten: Hyberniæ.	XIII
	28	19 $\frac{1}{2}$	62	Per Ebudas inſulas.	[illegible]
	29	20	63	Per Thylen.	XIIII
	30	21	64 $\frac{1}{2}$	Per Schythiam.	
Circulus Arcticus.	31	22	65 $\frac{1}{2}$	Per extrema Schythiæ.	XV
	32	23	66	Per Gotthiam.	
	33	24	66 $\frac{1}{6}$	Per Gotthiam.	XVI
	34	Menſis vnus.	67 $\frac{1}{2}$	Per Gotthiam	
	35	Menſes duo.	69 $\frac{1}{2}$	Per mediam Iſlandiam.	XVII
	36	Menſes tres.	73 $\frac{1}{3}$	Per Pilappos.	
	37	Menſes quatu.	78 $\frac{1}{3}$	Per mare Glaciale.	XVIII
	38	Menſes quinq;	84	Per mare Glaciale.	
Polus Arcticus.	39	Medius annus.	90	Per mare Glaciale.	XIX

CAPVT DECIMVM.

De Longitudine Locorum.

LONGITVDO *regionum aut cuiuſque loci, eſt portio Æquatoris inter Meridianum talis loci, & Meridianũ qui per inſulas Fortunatas ducitur intercepta. Ab illis itaque Fortunatis inſulis, quæ nuuc Canariæ appellantur, veteres illi Geographi initium Longitudinis excogitauerunt deinde ſecundum numerorum ſucceſſum, progrediendo verſus orientem telluris ambitum gradatim depingebant. Cùm igitur volueris alicuius loci Longitudinem habere, obſerua in eo loco per horologiũ benè rectificatum principiũ alicuius Ecclypſis, quòd ſi in horis aut minutis cum Ecclypſi quam præ manibus habes concordauerit, ſcias illum locum, eundem habere Meridianum cum calculatâ Ecclypſi, ſi verò diſcrepauerit, tunc ſcias illum locum alium habere meridianum, & diuerſam Longitudinem, & vt venias ad optatum auferas minorem numerum à maiori & differentiam illam in gradus & minita Æquatoris conuertito, ſcilicet pro qualibet hora 15. gradus pro 4. minutis horæ vnum gradum, & pro quolibet minuto horæ 15. minuta gradu‑um. Deinde numerum iam elicitum adijcias longitudini loci ad quem Eccly-*

Ecclypſis calculata eſt, ſi orientalior, hoc eſt, ſi numerus horarum obſeruationis fuerit maior ſi verò occidentalior, hoc eſt, ſi numerus horarum obſeruationis minor fuerit, tunc auferas, & obtinebis quæſitum, & ſic de reliquis,




CAPVT XI.

De Latitudine & Eleuatione Poli.

LICET authores his duobus vocabulis ſcilicet latitudine & eleuatione indifferenter vti ſoleant, differunt tamen in hoc, quòd latitudo regionis ſiue habitationis eſt arcus meridiani inter Zenith capitis noſtri & Æquatorem interceptus, numeraturq; ab Æquatore, vel verſus Auſtrum, vel verſus Septentrionem. Altitudo verò eſt arcus ille Meridiani inter Polum Mundi & Horizontem cuiuſque loci contentus. Qui quidẽ ambo arcus ſiue portiones Meridiani (vt ait Ioannes à Sacrobuſto) inuicem ſunt æquales. Et ideò tantùm eſt ſi dicas Polus noſter 34. gradibus & 40. mi-

40.minut. eleuatur nobis, quantum ſi diceres polus noſter ab Horizonte 34. gradibus 40.minutis diſtat, ſiue Zenith noſtrum ab Æquatore 34.gradibus 40.minutis abeſt. Eſto enim circulns A.B.C.D. Colurus noſtro meridiano iunctus, B.D. Horinzon. Zenith noſtrũ A. Æquator G.H. Polus Arcticus E. Antarcticus verò F. Erit A.D. Quarta pars circuli & G. E. Similiter. Arcus igitur A.E. eſt arcus communis duorum quadrantum ſcilicet A.D. & E.G. quem ſi demas, reliqui duo arcus erunt inuicem æquales, videlicet G.A. diſtantia Zenith ab Æquatore, & E.D. eleuatio poli ſupra Horizontem, quia ſi ab æqualibus æqualia demas, remanentia erunt æqualia.



CAPVT XII.

De Ventis.

VENTVS ſecundùm Phyſicos eſt exhalatio calida & ſicca in viſceribus terræ generata, quæ cum egreſſa fuerit, lateraliter circa terram mouetur, cuius quidem cauſa efficiens ſunt Sol & aſtra. Numerantur autem iuxta veterum diſtributionem duodecim. Quorum quatuor cardinales ſeu principales à quatuor mundi partibus ſunt; reliqui verò omnes collaterales vocitantur. Nam hi Cardinales ſinguli in ternos diuiduntur, & ſic erunt tres ab ortu, & tres ab occaſu, tres à Septentrione & totidem à meridie, quemadmodum denotat ſequens figura,, quam nobis tribuit

buit Vitruuius libro primo de Architectura. Primus itaq; ventorum cardinalis eſt Auſter, ſiue Notus Meridionalis, calidus & humidus, fulminoſus, pluuialis, nebuloſus & peſtilens nec non ægritudines multas generans. Collateralis eius à Meridie occiduo latinè Auſtroaphricus, græcè vero Libonotus ægritudines & pluuias facit, quemadmodū & Euroaſter ſeu Euronotus à Meridie ortiuo. Porrò Septentrio quem Græci Aparctian vocant cardinalis etiam & Auſtro oppoſitus, frigidus eſt & ſiccus, atque ſerenus, & licet flores noceat & fructus terræ, humano tamen corpori ſaniſsimus. Aquilo eius collateralis à Septentrione ortiuo tonitruoſus eſt præ omnibus gelidus & ſiccus, ventoſus niuoſus, ex parte quoq; fulminoſus, verum ab Ortu æquinoctiali Subſolanus eſt ſeu Apheliotes cardinalis quoque calidus & ſiccus temperatus producens flores & ſanitatem corporum cuſtodiens. Sed collaterales eius, vt Eurus & Helleſpontius omnia deſiccant. Sic ab Occidente æquinoctiali Fauonius ſeu Zephirus, frigidus & humidus pruinas ſoluens & frigus, tonitruoſus & pluuialis quam quidem conditionem & collaterales eius habent ſcilicet Aphricus & Chorus. Sed ne quid noſtræ inſtitutioni deſit aut deſiderari poſsit, ſi ſcire deſideras omni tempore, vnde quiuis ventus flet, ſequentem figuram in planum Horizontale auxilio compaſsi in Meridana linea colloca atq; in eius centro gnomonem ſeu ſtilum ad angulos rectos erigas, à cuius ſumitate dependeat linum aut quippiam aliud quod à vento hinc indè circumagi queat. Quocunque illud autem ſpiralis auræ vis excuſſerit, oppoſita ſemper venti ſedes tibi commonſtrabitur.

SEPTEN-

SEPTENTRIO:

DEXTRA POETARVM.

OCCASVS. *Siniſtra Coſmographorum. Dextra Aſtronomarum.*




ORTVS. *Dextra Coſmographorum. Siniſtra Aſtronomorum.*

MERIDIES.

SINISTRA POETARVM.

Diſtributio ventorum ſecundùm Vitruuium.

CAPVT




§. Diſtributio ventorum ſecundùm Modernos. §

CAPVT XIII.

De Periœſcis, Antœcis, Antipodibus, Amphiſcijs & Periſcijs.

QVATVOR à Geographis aßignantur habitationes. Pro prima habitatione quilibet punctus Meridiani accipi poteſt. Secundam habitationem habent Periœſci, id eſt, circumcolæ. Tertiam habitant Antœci ſiue Anticolæ. Quartam Antichthones, quos Antipodas vocitamus, tenent. Periœſci ſiue circumcolæ ſunt hi, qui habitant ſub eodem Meridiano atque ſub eodem parallelo, qui habent hæc communia cum illis, ad quos ſunt Periœſci, ſcilicet quòd eandem Zonam incolant, ac paria anni tempora cum illis habent, ſcilicet æſtatem & hyemem, autumnum, ver. Noſtri Periœſci hæc dicta nobiſcum communia habent, ſed in hoc à nobis differunt, nempe quòd noſter occaſus ſit illorum ortus. Antœci ſiue Anticolæ dicuntur illi habitatores, qui noſtro lateri aſtant ſub eodem Meridiano, quorum latitudo tanta eſt ab Æquatore verſus Meridiem, quanta noſtra verſus Septentrionem. Hoc illis nobiſcum commune eſt, nempe quòd paria nobiſcum agant tempora, ſed non pariter: nam cùm nobis hyems eſt, illi habent æſtatem; & è contra. Antipodes ſunt illi terræ habitatores, qui è diametro veſtigia ſua nobis obuertunt. Et ſic Antœcorum noſtrorum Periœſci ſunt nobis Antipodes. Et rurſum Periœſci noſtri ſunt Antœcorum noſtrorum Antipodes. Et cum illis nihil commune habemus, ſed omninò contraria, quia cùm nobis Sol æſtatem efficit, illos aſpera & dura opprimit hyems. Quando nobis dies eſt, illis nox eſt. Quando nos diem agimus longißimum, apud illos nox longißima diesq́ue breuißima ſtatuitur. Amphiſcij ſunt, qui in vtranq́ue partem vmbram mittunt. Fit enim bis in anno Sole ad verticem aduentante, vt Gnomones nullam vmbram faciant in meridie. Cùm verò Sol circa Cancrum verſatur, Vmbræ illorum ad Auſtrum declinant; ad Septentrionem autem cùm Sol ad Capricornum deſcendit: & tales ſunt omnes inter duos Tropicos habitantes. Periſcij denique ſunt, qui vmbram in omnes Horizontis partes mittunt in circulum omni die; & ſunt illi, qui in polis mundi habitant.



CAPVT XIIII.

De nominibus Geographorum.

QVADRVPLICIA ſunt generalia Geographorum nomina. Prima maris, maritimorumq́; locorum. Altera generalia partium terræ nomina. Tertia agrorum nomina. Quarta fluuiorum, ſtagnorum & cæterorum aquoſorum locorum generalia nomina, de quibus pauca ordine dicemus.

Maris, maritimorumq́; locorum nomina.

MAre generaliter dicitur congregatio aquarum multarum. Oceanus eſt mare, quod vniuerſam circuit terram, à velocitate dictus, eò quòd mira celeritate in maria interiora diffunditur per freta.

Sinus per translationem vocantur littora curua ad ſimilitudinem ſinus, & quaſi brachijs mare amplectentia.

Fretum eſt mare anguſtum inter duas terras, ab vndarum fremitu dictum, vt inquit Varro.

Æſtus modò accipitur pro æſtiuo tempore, modò pro fluctuatione & impetu maris propterea quod feruore quodam fiat.

Euripus eſt canalis per quem aqua confluit in vijs lapide ſtratis.

Boſphorus eſt tranſitus meabilis bouis propter anguſtias freti, & ſunt duo. Alter iuxta Bizantium, qui Thracius dicitur, oſtium Ponti per quod in Propontidem influit Pontus. Alter in introitu Mœotidos paludis, & per quem palus Mœotica in Pontum defluit, qui etiam Cimerius dicitur à Cimerijs populis.

Portus eſt locus concluſus iuxta mare, quo importantur merces.

Littus eſt terra quæ ab aquis tangitur & fluctibus oblimatur marinis.

Agger eſt propriè lapidum aut terræ coäceruatio quæ facta valle propius ponitur.

Ora eſt regionum, terrarumq́; finis, inſuper maritimæ ipſæ regiones.

Cherſoneſus, id eſt, peninſula eſt quæ non planè inſula eſt, neq; planè continens.

Iſthmos eſt arcta terra inter duo maria:

Inſula eſt terra quæ vndique aquis clauditur.

Promontorium eſt præeminens mons, ſignificat enim montem in mari prominentem.

Generalia partium terræ nomina.

Continens dicitur omnis terra ſolida ſiue fixa, quæ nec inſula, nec peninſula, nec Iſthmus eſt, ſed tota ſibi conſtat & cohæret, vt Pannonia, Saxonia, Bauaria, Auſtria, &c.

Terra in ſingulari totum elementum ſignificat, ſed in plurali terras aliquas ſignificamus.

Territorium, propriè locus communis eſt circa oppidum, qui Colonis relinquitur, teſte Pomponio de verborum ſignificatione.

Regio terra eſt quæ à Rege regebatur. Nam priuſquam prouinciæ fierem regiones ſub Regibus erant, atque ab his regebantur.

Regnum dicitur tàm regio ipſa ſubiecta, quæ à Rege poſſidetur, quàm ipſe dominatus.

Prouinciæ propriè dictæ ſunt regiones longe ab Italia bello acquiſitæ, quòd eas Romanus populus prouicerit, ait Feſtus.

Populus vnius ciuitatis multitudinem ſignificat, iuris conſenſu & concordi communione ſociata.

Plebs

Plebs idem eſt quod vulgus, hoc eſt, vilior pars populi, in qua (authore Gellio) gentes ciuium patritiæ non inſunt.

Vrbs eſt oppidum muro cinctum & continet ædificia.

Ciuitas propriè eſt collecta ciuium multitudo, ad iure viuendum.

Oppidum eſt omnis vrbs, præter Romam, quæ peculiari nomine vrbs dicta fuit, vt cætera nominentur oppida.

Emporium eſt locus mercatus & nundinarum.

Caſtellum eſt paruus vicus muris circumdatus.

Vicus eſt pars vrbis, qui ex multiplicatis domibus fit.

Pagus vocantur ruſticanæ domus in vnum congregatæ.

Villa eſt domus extra vrbem.

Caſa eſt domus à curuatione dicta. Nam antiqui cauatas rupeis inhabitabant.

Tugurium eſt ruſtica habitatio tecta ex vlna paluſtri.

Agrorum nomina.

MONS *eſt tumor terræ altiſsimus, ab eminendo dictus.*

Vallis eſt planities duobus lateribus ſeu montibus incluſa.

Collis eſt minor mons, & quaſi monticulus.

Cliuus eſt locus molliter arduus, & pro colle interdum ponitur.

Rupes ſunt præruptæ partes terræ, aut ſaxi prægrandis, propter altitudinem, ac procliuitatem inacceſſæ.

Vertex appellatur quod in montibus eminentiſsimum eſt.

Iugum eſt propriè montis cacumen.

Cacumen eſt ſummitas montium.

Conuallis eſt planities ex omni parte compræhenſa montibus collibusq́ dicta (vt inquit Varro) quaſi cauata vallis.

Fauces per tranſlationẽ dicuntur ſtricti ingreſſus vallium ſeu alterius loci.

Campus eſt grande atq́ amplum ſpatium terræ planæ.

Ager ſignificat partem quandam ipſius territorij vrbis, quæ priuatim ab aliquo poſsidetur.

Aruum eſt ager aratus, nondum tamen ſatus.

Pratum eſt in quo ad fructum percipiendum falce dumtaxat opus eſt, ait Vlpianus de verborum ſignificatione.

Paſcua ſunt illa loca in quibus pecudes paſcuntur.

Sylua eſt nomen generale, non ſolum arborum, ſed etiam herbarum.

Lucus eſt nemus arboribus denſum & obſcurum.

Nemus eſt quod voluptatis cauſa comparatum eſt, & plenũ amænitatis.

Saltus eſt denſior ſylua, & in via, quod ibi arbores ſaliant, in quo paſci, & æſtiuare pecudes ſolent.

Virgulta ſunt multitudo virgarum pullulantium.
Spinetum eſt locus ſpinis conſitus.

Fluuiorum, Stagnorum, & cæterorum aquoſorum locorum generalia nomina.

FONS *eſt, vbi de terra aqua manat, & ſe vſui præbet haurientibus.*
Riuus eſt locus depreſſus per longitudinem aquæ currentis.
Fluuius ſeu flumen eſt aqua continuè decurrens, & perennis, & eſt maior, quàm riuus & torrens.

Torrens eſt fluuius, qui non de fonte, neq; de viua aqua, ſed à pluuijs, vel de montibus aquis hyemalibus in valles deſcendit, & æſtate ſiccatur.

Fluentum eſt paruum flumen, ſiue decurſus aquæ.

Gurges eſt locus in flumine profundus, in quo aqua vertitur, licet quandoq; ponatur pro mari.

Amnis idem eſt quod fluuius, ab am circum, & natare fluere, quoniam flexuoſo meatu labitur.

Fluctus eſt aqua mota in vnum collecta.

Vnda propriè eſt pars aquæ in ſe collecta, & in vnam partem tendens.

Ripa eſt extremitas terræ aquæ vicina, & eſt propriè aquarum currentium, vt fontium & fluminum.

Oſtium eſt fluuiorum patens aditus.

Alueus eſt foſſa, per quam labitur flumen.

Vadum eſt fundum fluminis, lacus, maris, & cuiuſcunq; aquæ, per quod via datur.

Lacus eſt locus profundus cum aquis perpetuis ibidem natis, qui efficit riuos & flumina.

Stagnum eſt, quod temporalem ibi aquam ſtagnantem habet, quæ plerunque hyeme colligi ſolet, æſtate ſiccari.

Palus eſt, vbi paululum aquæ in altitudine, & palàm latiùs diffuſa, quæ non fluit, & quandoq; ſiccatur.

Lacuna eſt aquæ collectio, quã alij lamam, alij luſtram nominant.

Ciſterna, eſt locus in quo colligitur aqua pluuia per euripos & caniculos ſub ſtillicidio poſitos.

Piſcina eſt, quæ in aqua dulci aut ſalſa incluſos habet piſces, vt ait Varro libro 3. de re ruſtica.

Thermæ ſunt balnea ſeu loca illa, quæ calentibus aquis, lauandi vſibus ſunt deputata.

CAPVT

CAPVT XV.

De Menſuris.

MENSVRA *eſt longitudo finita, quæ ignotam locorum diſtantiam ſenſibili experimento menſurat. Cuius partes ſunt Granum hordei menſura minima. Digitus quatuor habens grana in latum poſita. Palmus minor digitorum eſt quatuor à Græcis* παλαιστὴς. *Dichas habet duos Palmos minores. Maior Palmus digitorum eſt duodecim, Græcè* σπιθαμὴ *vocatus. Pes quatuor palmos minores habet. Cubitus verò triplex eſt, Paruus ſcilicet, ſiue Generalis, qui conſtat ſeſquipede. Medius, qui duobus pedibus integris conſtat, & Magnus, qui pedibus nouem, id eſt, cubitis generalibus ſiue paruis ſex. Gradus duos pedes habet. Paſſus ſimplex ſeu greſſus duos pedes & ſemiſſem. Paſſus verò Geometricus quinque pedes. Orgia ſex pedes. Pertica decem pedes. Stadium 125. paſſus: dicitur autem à ſtando, quia Hercules tantùm currens poſtea ſtabat & reſpirabat. Plethrum centum pedes. Diaulos duo ſtadia. Leuca habet 1500. paſſus. Dolichos 12. ſtadia. Paraſanga autem iuxta Budæum 30. ſtadia. Schœnum verò licet ex duobus & viginti ſtadijs, nonnulli ex triginta, varia opinione, conſtare dicant, & Herodotus lib. 2. ſexaginta ſtadiorum ſcribat; tamen ex ſtadijs quadraginta, hoc eſt, paſſibus quinque millibus Schœnum verum confici, communi opinione, quæ longè præſtantior fuit, receptum eſt. Stathmos tabellariorum ſiue veredariorum diuerſorium milliaria 28. & ſemis habet. Porrò milliare nomen habet à mille paſſibus: continet autem ſtadia octo. Milliare Germanicum commune 400. paſſus continet, ſtadia verò 32. Milliare Germanicum magnum 500. paſſuum eſt. Sed quia ſingulas menſurarum ſpecies exequi longum eſſet, nec etiam noſtri inſtituti eſt, ne pluribus morer de his hactenus dixiſſe abundè fuerit. Illud tamen annotare ſuccurrit, quod Latini menſurant terreſtre ſpatium per milliaria; Græci per ſtadia. Galli atq; Hiſpani per Leucas, Ægyptij per Schœnos, Perſæ verò per Paraſangas.*

Dimidium pedis antiqui ex Leonardo de Portis.

Digiti.	I	II	III	IIII	V	VI	VII	VIII
Palmi.	I				2			

Figuratio Pedis ſecundum Ioannem Stoflerinum Iuſtingenſem.

Primus Palmus.	Secundus Palmus.	Tertius Palmus.	Quartus Palmus.


Dimidium pedis Romani ex Glareano.

Vnciæ ſiue pollices.	I	II	III	IIII	V		VI	
Digiti.	1	2	3	4	5	6	7	8

CAPVT XVI.

De totius terræ menſura & eius diametro inueniendo.

GLOBI terreſtris ambitus ſeu circumferentia 360. gradus (quemadmodum circulus ſiue maximus, ſiue minimus) continere dicitur, & vnicuiq; gradui 15. milliaria Germanica communia, vel 60. Italica reſpondere certiſsimis Mathematicorum demonſtrationibus compertum habemus. Si igitur terræ ambitum cognoſcere velis, multiplica trecentos, ſexaginta gradus, terræ ſcilicet peripharíam per 15. & prouenit tibi ambitus terræ in milliaribus Germanicis nimirum 5400. vel per 60. & 21600. milliaria Italica offendes. Tot enim milliaria Germanica vel Italica ambitus ſeu circumferentia terræ euidentiſsimis rationibus continere probatur. In parallelis tamen diſcrimen eſt: nam quantò æquinoctiali propinquiores ſunt, tantò maiores arcus habent, ac proinde maiorem collationẽ in gradibus, contra verò quantò polo propinquiores, tantò minores arcus habent, & proinde etiam minorem collationem in gradibus. Habito autem terræ ambitu, ſi quis eius diametrum, quæ quidem eſt linea recta, per centrum eius, ex vtraq; parte ad circumferentiam eiecta, quanta ſit ſcire deſideras, facilè id per regulam dimetientem inuenies, multiplicando ſcilicet circumferentiam per 7. & ꝓductum diuidendo per 22. naſcetur in quotiente ſolerti ſupputatione facta numerus diametri terræ, nempe 1718 $\frac{2}{11}$ milliaria Germanica, vel 6872 $\frac{8}{11}$ Italica.



CAPVT XVII.


De modo quo Ptolomæus eiuſq̂ue ſequaces Orbem terrarum pinxerint.

D*Escriptvrvs autem terrarum Orbem, vt à Ptolomæo ſitus eius ſecundum longum & latum eſt deprehenſus, deſcribe parallelogramum rectangulum, veluti eſt A.B.C.D. cuius latus A.B. duplum ſit ad latus A.C. diuidaturq́ in duo æqualia per lineam E.F. quæ ſua longitudine ſub vna rectitudine vſque ad G. protrahatur, & ſupponatur latus A.B. eſſe Septentrionale, C.D. Meridionale, B.D. Orientale, & A.C. Occidentale. Deinde extra parallelogramum trahas lineam rectam H.I. æqualem lineæ E.F. quæ vicæ quadrantis maximi circuli erit, & in 90. partes æquales diuidas more ſolito. Quo facto accipe mediante circino longitudinem huius lineæ H.I. extra ſignatæ, cui adponas etiam vnam partem et 50. minuta, deinde circino inuariato, à puncto F. verſus G. fac ſignum K. & habebis centrum omnium parallelorum Latitudinis. Poſtea à puncto H. verſus I. lineæ extra ſcriptæ, numera 16. partes & 25. minuta, hanc diſtantiam transferas inuariato circino in lineam E.F. parallelogrami, ponendo vnum pedem circini in punctum E. alterum verò verſus F. & facias ſignum L cui immitte pedem circini & reliquum extende in K. centrum à quo deſcribe lineam à latere A.C. vſq; ad latus B.D. ſcilicet M.L.N. quæ erit linea Æquinoctialis. Rurſum recenſe 23. partes & 50. minuta lineæ H.I. extra ſcriptæ, deinde immiſſo pede vno circini in puncto L. & altero extenſo verſus F. facias ſignum Q. à K. igitur ad Q. aperto circino pinge lineam R Q.*

S.qui Tropicus Cancri erit, ſeu parallelus per Syenen. Sed vt habeas parallelum oppoſitum ei qui eſt per Meroen, pone pedem vnum circini in puncto K. alterum verò extendito vſque ad E. & deſcribe lineam O. E. P. Iterum vt habeas vltimum parallelum Septentrionem verſus terræ habitabilis ad tempora Ptolemæi, ponito vnum pedem circini in puncto H. lineæ extra ſcriptæ, & alterum extende verſus I. vſque ad 63.partem iam dictæ lineæ, ſic circino immoto à puncto L. Æquinoctialis verſus F.fac ſignum T.deinde à K.ad T.vt prius dictum eſt deſcribe curuam lineam, & habebis extremum parallelum tranſeuntem per Thylen, quem ſignabis literis V.T.X. Porrò ſciendum eſt, quòd tres paralleli nimirum per Thylen, per Syenen, et oppoſitus ei ſcilicet Meridionalior primum ſunt deſcribendi, eo quòd mediantibus illis omnes inſcribuntur Mappæ Meridiani, & vt venias ad optatum, Accipe cum circino in linea H. I. extra diuiſa diſtantiam duorum graduum & 15. minutorum, quam in parallelo per Thylen tranſeunte, incipiendo à linea E.F.vtrinque decies & octies replicabis, notando puncta. Conſimiliter ages recipiendo diſtantiam quatuor graduum & 35.minutorum in ſupra dicta linea ſcilicet H.I.& in parallelo per Syenen tranſeunte decies & octies replicando. Iterum recipe diſtantiam quatuor graduum & 50.minutorum in ſæpe iam dicta linea H.I.& in parallelo oppoſito per Meroen vtrinque pinge 18.puncta. Quibus ſignatis, quære cum circino (ſecundùm doctrinam ſequentis capituli) centrum trium punctorũ in his tribus parallelis à Meridiano recto E. F.æquidiſtantium, quo inuento duc arcũ per hæc tria puncta. Sic ages cũ omnibus trinis et trinis punctis. Deinde lineam Æquinoctialem in 180.ſecabis partes ſeu gradus æquales, & numeros graduum aſſignabis, ab Occaſu verſus Ortũ, hoc eſt ab M.verſus N. Similter diuide omnia ſpatia Meridianorum in oppoſito parallelo Meroenſi ſcilicet, & in illo qui currit per Thylen in quinque partes æquales. Vltimum verò Meridianum in latere parallelogrami A. C. qui eſt ille qui imaginatur tranſire per Inſulas Fortunatas, ab M. verſus V.in 63. partes ſiue gradus diuide æquales, Ab M. verò verſus O. in 16.& 25. minuta. Poſtmodùm deſcribantur reliqui paralleli latitudinum diſtantes per quinos gradus et adijciantur numeri iuxta Meridianum iam dictum. Adijciantur et Climata, Venti, Paralleli diſtinctores horarum, & alia ad ornatum figuræ pertinentia, vt patet in ſequenti figura. Quare cum volueris terram habitabilem inſcribere chartæ, conficias tibi regulamentum ex aliqua materia tenui ad longitudinem lineæ E.K.cuius latitudo ſit duorum ferè digitorum, & per eius medium ducatur

linea

linea recta, quæ ſit E. K. Eam diuide à puncto L. vſque ad punctum T. in 63. partes, & à puncto L. vſque ad punctum E. in 16. partes & 25. minuta. Abſoluta diuiſione aufer mediam eius partem vſque ad lineam E.K. iuxta formulam infra depictam. Poſtea annectes per clauum rotundum duo puncta ſcilicet K. regulamenti, & K. figuræ, ita vt regulamentum liberè hinc inde volui queat. Auxilio huius regulamenti diſpeſces terram habitabilem in tres partes, ſcilicet Europam, Africam & Aſiam, dummodò habeas ex Ptolomæi libris Geographicis octo Indicem, quo habito facilè peruenies ad id, quod optas. Nam cum libuerit locum aliquem inſcribere Mappæ, numera gradus longitudinis illius loci à Meridiano, qui imaginatur tranſire per Inſulas Fortunatas in Æquatore, id eſt, in linea M.L.N. & fac lineam occultam. Deinde numera gradus Latitudinis in regulamento ab L. verſus T. ſi latitudo fuerit Septentrionalis, aut ab L. verſus E. ſi fuerit Meridionalis, & fini fac ſimiliter lineam occultam, & habebis quæſitum. Nam in ſectione illarum duarum linearum eſt verus locus, quem deſcribere volebas. Exempli gratia. Volo inſcribere Ingolſtadium Superioris Boiariæ ſeu Vindeliciæ oppidum munitiſſimum, & ſtudio vniuerſali multum decoratum, cuius longitudo eſt gradus 29. minut. 6. & Latitudo grad. 48. minut. 42. Numero igitur longitudinem à puncto M. verſus L. & ad finem eorum graduum pono regulamentum mobile. Deinde numero in regulamento à puncto L. verſus T. quia Latitudo eſt Septentrionalis 48. gradus 42. minut. & in fine facio notam, quæ repræſentabit mihi ſitum Ingolſtadij in Mappa. Sed huius demonſtrationis formulam in planum extendamus, vt faciliùs lector cuncta comprahendat.



G
K
Regulamentum.
Gradus Latitudinis
ENTRIO.
V
F
X
A
B
R
S
M
N
O
P
C
D
E
E
OCCASVS.
ORIENS.
MERIDIES
MARE CASPIVM.
ASIA
Parallelus per Syenem.
OCEANVS
GRADVS
LONGITVDINIS.
10 20 30 40 50 60 70 80 90

CAPVT

CAPVT XVIII.

De artificioſa inuentione centri trium punctorum propoſitorum.

SI artificiosè & breuiter trium punctorum propoſitorum, non in linea recta poſitorum, centrum inuenire cupieris, vt ſunt A.B.C. Siſte pedem circini in vno horum trium punctorum ſcilicet A. et alio aliqualiter extenſo verſus B. duc partem circumferentiæ occultæ. Deinde pone eundem pedem circini ſub eadem extenſione in ſecundo puncto videlicet B. & iterum duc partem circumferentiæ occultæ verſus A. interſecantem priorem in duobus punctis, & trahe lineam rectam occultam per ambas interſectiones in continuum & directum verſus hanc partem, vbi exiſtimas fore centrum trium punctorum. Eodem modo fac duas interſectiones per circinum in tertio puncto ſcilicet C. nondum tacto & alio ſibi proximo, ſiue hoc poſsit fieri ſub eadem extentione ſicut priùs, ſiue ſub alia maiore ſiue minore. Quia circinus ſemper hoc pacto debet extendi, quòd poſsit cauſare duas interſectiones, ſiue inter duo puncta ſiue in diſtantia ab eis, qualitercunque hoc fiat. Habitis igitur talibus interſectionibus per ſecundum & tertium punctum repertis, duc per eaſdem lineam rectam ſubtilem in continuum & directum, quouſque ſecet primam lineam rectam. Et vbi hæ lineæ ſeſe interſecant, illic eſt centrum trium punctorum propoſitorum. Sed vt faciliùs hanc doctrinam capere ſeu intelligere poſsis, inſpice figurationem ſequentem.



G
K
Regulamentum.
¶ SEPTENTRIO.
V
F
A
B
R
S
M
N
O
P
C
D
E
Parallelus per Thylen.
MARE CASPIVM.
EVROPA
ASIA
AFRICA
OCEANVS
Circulus Aequinoctialis
Gradus Latitudinis.
Parallelus oppositus ei
¶ OCCASVS.
¶ ORIENS.
¶ MERIDIES
10 20 30 40 50 60 70 80 90

CAPVT

CAPVT XVIII.

De artificioſa inuentione centri trium punctorum propoſitorum.

SI artificioſè & breuiter trium punctorum propoſitorum, non in linea recta poſitorum, centrum inuenire cupieris, vt ſunt A. B. C. Siſte pedem circini in vno horum trium punctorum ſcilicet A. et alio aliqualiter extenſo verſus B. duc partem circumferentiæ occultæ. Deinde pone eundem pedem circini ſub eadem extenſione in ſecundo puncto videlicet B. & iterum duc partem circumferentiæ occultæ verſus A. interſecantem priorem in duobus punctis, & trahe lineam rectam occultam per ambas interſectiones in continuum & directum verſus hanc partem, vbi exiſtimas fore centrum trium punctorum. Eodem modo fac duas interſectiones per circinum in tertio puncto ſcilicet C. nondum tacto & alio ſibi proximo, ſiue hoc poſſit fieri ſub eadem extentione ſicut priùs, ſiue ſub alia maiore ſiue minore. Quia circinus ſemper hoc pacto debet extendi, quòd poſſit cauſare duas interſectiones, ſiue inter duo puncta ſiue in diſtantia ab eis, qualitercunque hoc fiat. Habitis igitur talibus interſectionibus per ſecundum & tertium punctum repertis, duc per eaſdem lineam rectam ſubtilem in continuum & directum, quouſque ſecet primam lineam rectam. Et vbi hæ lineæ ſeſe interſecant, illic eſt centrum trium punctorum propoſitorum. Sed vt faciliùs hanc doctrinam capere ſeu intelligere poſſis, inſpice figurationem ſeſequentem.




CAPVT XIX.

De inducenda papyro in globum eiuſque pictura.

SI papyrum in globum inducere volueris,accipe mediante circino quadrantem cuiuſq; maximi circuli,eumq; in tres (vt moris eſt) diuide partes æquales,deinde accipe papyrum,quam in planum immobilem imponito, ducq; in ea lineam longiſſimam,quam in 30.æquales quoq; ſecabis partes,quales in quadrante globi ternas inueniſti. Secta autem ſic huiuſmodi linea, ponito vnum circini pedem in extremitate lineæ, & alterum extende vſque in vndecimum punctum, ita tamen,vt dena tranſmittas ſpatia, & duc arcus circulorum, hemicicliis tamen minores procedendo de puncto in punctum. Conuerſo poſtmodùm circino duc arcus conuerſos in alteram extremitatem lineæ, & habebis duodecim partes inuicem æquales papyri in globum glutino inducendas. Sed exemplo res lucidior reddetur. Sit A.B. linea in 30.partes inuicem æquales diuiſa, quales vt ſupradictũ eſt, ſinguli quadrantes æquinoctialis ternas habent. Ponito ergò

to ergò circini pedem vnùm in punctum A. & alterum extendito verſus B. vſque in punctum vndecimum, ſic enim dena tranſmittes ſpatia, & duc arcum S.D.T. Deinde ab A. promoue circinum vno puncto, & ſic alter pes in E. veniet, atque ita deinceps, donec in P. deuentum fuerit. Deinde in marginem alterum transfer circinum, ita vt in B. poſito vno pede in A. alterum extendas, atque illic duc arcum Q. O. R. & emerget duodecima pars ſuperficiei quam quærebas quamq́; globo aptè circumponere poteris, quanquam ſupernè propter Sphæræ coarctationem nonnihil ſuperabit, verùm à mediocriter exercitato haud magno negotio corrigi poterit quod ſupereſt. Quòd ſi iam globum etiam depingere volueris, imprimis opus eſt, vt inquiras polos Mundi, & hoc vel motu vel circino fiet. Circinatio autem ex quadrantibus potiſſimum conſtat. Deinde inueſtigandus eſt Æquinoctialis, quem eodem pacto, quo Polos vtroſque inueſtigare poteris, ita tamen vt ab vtriſque æqualiter diſtet. Meridianos autem facies in Polo coëuntes, in Æquinoctiali verò denis vel quinis gradibus diſtantes, quorum centrum in Æquinoctialis periphæria ſemper eſt inquirendum. Parallelos quoque totidem gradibus diſcernere opportet, ſed centrum illorum erit Polus Mundi. Tropicos verò & Arcticos iuxta ſuperius Capit. 5. traditam doctrinam facilè deſcribere potes. In pingendis autem terris opus eſt vt conſtituas Meridianum qui imaginatur tranſire per inſulas Fortunatas poſt Hiſpanias, vt Ptolemæo placet, & ab Hiſpania incipere, numerando in Æquinoctiali gradus longitudinis à Meridiano iam dicto Ortum verſus computando, latitudinem verò ab eodem Æquinoctiali in iam Meridiano dicto vel verſus Septentrionem vel Auſtrum. Ducendi quoq; ſunt primùm termini littorum trium partium continentis Europæ ſcilicet Africæ, & Aſiæ. Poſteà verò fluuij & montes præcipui. Inſulæ quoque & maris ſinus, Syluæ, Climata & alia ſi quæ ſunt adijcienda ad ornatum globi quæ ſpatij tamen iniquitate non excludantur ex Ptolemæo, diuerſis Mappulis, Chartis Coſmographicis & tabulis facillimè haberi poſſunt. Poſt quam autem ea ex Coſmographicis deſcriptionibus deſumpta fuerint, paretur Meridianus è materia ſolida, qui in 360. partes æquales diuidatur et numerus ab Æquinoctiali verſus vtroſq; Polos procedat, cuius Poli orbiculos habeant, ſicut lineæ fiduciales, quorum centra erunt in punctis interſectionum Meridiani cum gradu nonageſimo ab Æquinoctiali. Ipſis quoq; horũ centris perforatis, Meridiani Poli Polis globi affigantur, ita tamen vt circa eos globus liberè voluatur. Poſtremo fiat ſedes cũ Horizonte, qui circa Meridiem & Septentrionem

cauetur,



cauetur,ita vt dimidius globus ſupra emineat. In Horizonte autem ad quatuor cœli plagas pingantur ventorũ quatuor cardinaliũ nomina et figuræ, ad Meridiẽ quidem Auſtri, ad Septentrionem Aquilonis, ad Ortũ verò Euri, et ad Occaſum Zephiri. Reliquos verò pro tuo arbitrio ad imitationem aliorũ ſi volueris depingere, liberũ eſto. Verũ ne in aliena doctrina ingenioſi eſſe videremur, quicquid hîc à me maiore ex parte dictũ eſt, à D. Heinrico Glareano piæ memoriæ præceptore meo quondã obſeruãdiſſimo, accepi, quod ideò indico, ne ſtudioſa iuuentus cui hoc bonum debeat ignoret.

CAPVT XX.

De modo faciendi tabulas particulares.

SI volueris aliquam tabulam particularem conficere opus eſt, vt primum omnium habeas latitudinem eius Prouinciæ aut Regionis quam deſcripturus es. Talem inquam latitutinem facilè acquires, ſi noueris principium & finem propoſitæ prouinciæ, hoc eſt diſtantiam principij & finis eius ab Æquatore Septentrionalem, ſi fuerit Septentrionalis, ſin minus Meridionalem, ſubtracto vno ab altero, reſiduũ erit latitudo quæſita. Ad hoc recquiritur etiam differentia longitudinum. His habitis, trahas per mediũ plani alicuius lineam Meridionalẽ, quam diuidas in totidem partes æquales quot graduũ eſt latitudo Regionis deſcribendæ, & ab extremitatibus huius lineæ, extendantur aliæ duæ lineæ æquidiſtantes. Ponas deinde extra vni harum partiũ lineam æqualem quæ ſit S.R. quã diſcrimines in 60. partes æquales, nam totidẽ partiũ eſt vnus gradus ſub Æquatore. Deinde inueſtiga in tabula conuerſionũ gradus extra Æquatorem in gradus Æquatoris, quot harũ partium ſit tum Meridionalioris tum Septentriona-

triona-

trionalioris paralleli vnus gradus. His habitis, accipias circino numerum partium vnius gradus paralleli meridionalioris ponendo alterum pedem ſuper lineam extra ſcriptam in puncto S. reliquum verò extendas verſus R. deinde differentiam illam transferas in parallelum iam dictum, faciendo tot notas verſus ortum quot medietas differentiæ longitudinis habet, in cuius notitiā peruenies eo modo quo veniſti in notitiam differentiæ latitudinis, ac eadem ratione agas cum reliqua huius paralleli parte, & ſimiliter, cum parallelo Septentrionaliori, niſi quod circinus comprimendus eſt in linea extra ſcripta ad numerum partium quæ debentur parallelo Septentrionaliori. Poſt quàm hos diuiſiſti parallelos, trahas ab vltimis punctis eorum lineas à meridionali parte ad Septentrionalem, quæ repræſentabunt meridianos regionis deſcribendæ extremos, quæ diuidantur ſecundùm diuiſionem meridionalis lineæ, numeriq́ debiti tàm longitudinis quàm latitudinis adijciantur. Poſtremò habeas duo fila cum ſuis perpendiculis, quorum longitudo excedat longitudinem & latitudinē plani propoſiti. Et cum volueris inſcribere aliquem locum quicunq́ is ſit modo habeas eius longitudinem & latitudinem, ponas alterum filum ſuper gradus longitudinis, alterum autem ſuper gradus latitudinis, & vbi ſe fila ſecant, ibi facias ſignum pro eo loco, lociq́ nomen adſcribas. Sed Exemplo res lucidior fiet. En cupio extendere ſuper aliquod planum Peloponneſum arcem totius Græciæ quondam, quæ nunc Morea dicitur, in mari mediterraneo ſitam, cuius latitudo mihi inuenta eſt 4. graduum iuxta doctrinam iam traditam, & vnus gradus paralleli meridionalioris eſt 49. minutorum & 45. ſecundorum. Septentrionalioris verò 47. minutorum & 17. ſecundorum, vt patet ex tabula conuerſionum gradus extra Æquinoctialem in gradus Æquinoctialis. Ex quo hoc habui, traxi lineam occultam F. G. eamq́ diuiſi in 4. partes, quarum vnam poſui extra lineam ſcilicet S. R. ſectam in 60. partes & traxi ad punctum F. orthogonaliter lineam A. B. & ad punctum G. lineam Septentrionaliorem C. D. deinde extendi circinum à puncto S. verſus R. ad punctum 50. ferè, & cum hac extentione feci à puncto F. verſus A. tres notas & verſus B. totidē, quia longitudo Peloponneſi eſt 6. graduum. Hoc abſoluto compreſſi circinum in linea S. R. ad punctum 47. & 17. minutum, & diuiſi etiam lineam C. D. hinc inde à puncto G. in tres gradus, & coniunxi hos duos parallelos lineis A. C. & B. D. quas diuiſi ad diuiſionem lineæ F. G. & numeros graduum vbique adieci, plagasq́ mundi adſcripſi, & impoſiturus vrbem Corinthiorum (quos D. Paulus reuocauit ad veram fidem, & Euangelicā Sapientiam) cuius longitudo eſt 51. graduum 15. minutorū & latitudo 36. graduū 56. minutorū,

poſui

poſui alterum filum in lineam A.C. & lineam B.D. quæ referunt meridianos extremos Peloponneſi ſuper gradum 36. & 56. minutum, & ſimiliter poſui alterum filum ſuper gradum 51. & minutum 15. linearum A.B. & C.D. & in communi ſectione filorũ feci ſignum & adieci nomen vrbis. Non ſecus actum eſt cum reliquis tàm vrbibus, quàm fluminibus. Porrò ſciendum eſt, quod multùm retulerit ad exactam fluuiorum & aliarum rerum deſcriptionem, vt aliquis Regionem quam deſcripturus eſt, aliquoties perluſtrauerit.

Figura huius Deſcriptionis tibi hic ob oculos poſita eſt.



Sequitur Tabula conuerſionum gradus extra Æquinoctialem in gradus Æquinoctialis.


Gradus Latitudinis.	Minuta Æquinoctialis & ſecunda ad proportionē parallelorum.		Gradus Latitudinis.	Minuta Æquinoctialis & ſecunda ad proportionē parallelorum.		Gradus Latitudinis.	Minuta Æquinoctialis & ſecunda ad proportionē parallelorum.	
G	M	Z	G	M	Z	G	M	Z
1	59	59	31	51	26	61	29	5
2	59	57	32	50	53	62	28	10
3	59	55	33	50	19	63	27	14
4	59	51	34	49	45	64	26	18
5	59	46	35	49	9	65	25	21
6	59	40	36	48	32	66	24	24
7	59	33	37	47	55	67	23	27
8	59	25	38	47	17	68	22	29
9	59	16	39	46	38	69	21	30
10	59	5	40	45	58	70	20	31
11	58	54	41	45	17	71	19	32
12	58	41	42	44	35	72	18	32
13	58	28	43	43	53	73	17	33
14	58	13	44	43	10	74	16	32
15	57	57	45	42	26	75	15	32
16	57	41	46	41	41	76	14	31
17	57	23	47	40	55	77	13	30
18	57	4	48	40	9	78	12	28
19	56	44	49	39	22	79	11	27
20	56	23	50	38	34	80	10	25
21	56	1	51	37	46	81	9	23
22	55	38	52	36	56	82	8	21
23	55	14	53	36	1	83	7	19
24	54	49	54	35	16	84	6	16
25	54	23	55	34	25	85	5	14
26	53	56	56	33	33	86	4	11
27	53	28	57	32	41	87	3	8
28	52	29	58	31	48	88	2	6
29	52	29	59	30	54	89	1	3
30	51	58	60	30	0	90	0	0

CAPVT XXI.

De alio modo deſcribendæ regionis in plano incognitis latitudine, longitudine & diſtantia.

CVM prouinciam vel regionem aliquam cum omnib' ſuis vicis ac oppidis incognitis latitudine, longitudine & diſtantia deſcribere volueris, præpares tibi ex ligno duro, ſolido ac firmo tabulam planam, quæ arte tornandi rotundetur. In facie verò tabulæ præparatæ quære centrum, ſuper quo officio circini deſcribe in limbo ſecundùm tabulæ capacitatem circulum maiorem, ita tamen quòd extremitatem tabulæ non omnino tangat, qui in quatuor æquales diuidatur partes. Quo facto ex eodem centro duc alium circulum conſtricto tamen circino paululùm, qui tantum diſtet à priori, quantum ſufficiat pro inſcriptione ſingulari graduum, ita vt totus ſit diuiſus more ſolito in 360. gradus ſeu partes inuicem æquales. His inſcriptis gradibus, iterum conſtringatur circinus, & deſcribatur in eodem centro alius circulus, qui tantùm ſit remotus à circulis graduum, vt numeri conuenienter poſſint addi per quinque & quinque, ſcribasq; plagas mundi, ſcilicet Septentrionem, Occaſum, Meridiem & Ortum. Deinde fabrefac tabulam, cuius latitudo ſit duorum ferè digitorum, longitudo autem contineat quantitatem inſtrumenti, per cuius medium ducatur linea recta G. E. F. quæ vocabitur linea Fiduciæ. Nam ei in rebus Geometricis exercendis fidem habemus, & ſuper medium dictæ lineæ ſcilicet punctum E. deſcribatur circulus paruus ſecundùm latitudinem eius, facto circulo abſcindatur vſque ad lineam E. G. pars vna, & ſimiliter ex altera parte E. F. pars oppoſita, & imponantur duo pinnacidia æqualia perforata, ita quòd longitudo eorum adæquetur circulo paruo ex centro deſcripto. Poſtremò, perforato etiam centro parui circuli, omnia conclauentur vno clauo, ita tamen quòd hinc inde liberè volui queant, ſicut in dorſo Aſtrolabij, vt præſenti figura facilè poteris edoceri.

Hoc




Hoc itaq; inſtrumento facto, aſcende turrim alicuius oppidi altiſſimam, ex qua quaſi ex ſpecula circumſpicere poſſis, omnia ferè loca regionis tibi deſcribendæ, ſed opus erit etiam inſtrumento quadrangulari nautico (ꝙ compaſſum appellamus) nam ab illo ferè tota res pendet, itaq; procedito. Pone inſtrumentũ primùm in plano, & ſuper ipſo compaſſum, ita vt latus compaſſi adiaceat lineæ meridianæ inſtrumenti inferioris. Deinde verte inſtrumentum cum compaſſo, eo vſq; quo index compaſſi correſpondeat ſibi ſubſcripto indici, & poſt hac inſtrumento ita manente, compaſſum tanq̃ perfunctum ſuo officio remoue. Si nunc regionẽ aliquam hoc modo deſcribere placet, volue indicem volubilem hinc inde, donec per pinnacidiorum eius foramina omnium circumiacentium locorum tibi deſcribendorum ſitum ſeu potiùs deflectionem à meridie, ortu, ſeptentrione, vel occaſu ſecundùm ipſius indicis remotionem ab eis videas. Quo facto trahe in plano alio papiraceo circulum occultum ex vno puncto poſito ad libitum, eumq; diuidas in 360. gradus, vt ipſum inſtrumentum, & ſupradictas deflectiones ſeu ſitus locorum ab inſtrumento in hunc mediante circino transferas, trahasq; à

CAPVT XXI.

De alio modo deſcribendæ regionis in plano incognitis latitudine, longitudine & diſtantia.

CVM prouinciam vel regionem aliquam cum omnib' ſuis vicis ac oppidis incognitis latitudine, longitudine & diſtantia deſcribere volueris, præpares tibi ex ligno duro, ſolido ac firmo tabulam planam, quæ arte tornandi rotundetur. In facie verò tabulæ præparatæ quære centrum, ſuper quo officio circini deſcribe in limbo ſecundùm tabulæ capacitatem circulum maiorem, ita tamen quòd extremitatem tabulæ non omnino tangat, qui in quatuor æquales diuidatur partes. Quo facto ex eodem centro duc alium circulum conſtricto tamen circino paululùm, qui tantum diſtet à priori, quantum ſufficiat pro inſcriptione ſingulari graduum, ita vt totus ſit diuiſus more ſolito in 360. gradus ſeu partes inuicem æquales. His inſcriptis gradibus, iterum conſtringatur circinus, & deſcribatur in eodem centro alius circulus, qui tantùm ſit remotus à circulis graduum, vt numeri conuenienter poßint addi per quinque & quinque, ſcribasq́ plagas mundi, ſcilicet Septentrionem, Occaſum, Meridiem & Ortum. Deinde fabrefac tabulam, cuius latitudo ſit duorum ferè digitorum, longitudo autem contineat quantitatem inſtrumenti, per cuius medium ducatur linea recta G. E. F. quæ vocabitur linea Fiduciæ. Nam ei in rebus Geometricis exercendis fidem habemus, & ſuper medium dictæ lineæ ſcilicet punctum E. deſcribatur circulus paruus ſecundùm latitudinem eius, facto circulo abſcindatur vſque ad lineam E. G. pars vna, & ſimiliter ex altera parte E. F. pars oppoſita, & imponantur duo pinnacidia æqualia perforata, ita quòd longitudo eorum adæquetur circulo paruo ex centro deſcripto. Poſtremò, perforato etiam centro parui circuli, omnia conclauentur vno clauo, ita tamen quòd hinc inde liberè volui queant, ſicut in dorſo Aſtrolabij, vt præſenti figura facilè poteris edoceri.


Hoc



Hoc itaq; inſtrumento facto, aſcende turrim ...us oppidi altißimam, ex qua quaſi ex ſpecula circumſpicere poßis, o... ferè loca regionis tibi deſcribendæ, ſed opus erit etiam inſtrumento ...uadrangulari nautico (ꝗ compaßum appellamus) nam ab illo ferè tota res pendet, itaq; procedito. Pone inſtrumentũ primum in plano, & ſuper ipſo compaſſum, ita vt latus compaßi adiaceat lineæ meridianæ inſtrumenti inferioris. Deinde verte inſtrumentum cum compaſſo, eo vſq;, quo index compaßi correſpondeat ſibi ſubſcripto indici, & poſt hæc inſtrumento ita manente, compaſſum tanq̃ perfunctum ſuo officio remoue. Si nunc regionẽ aliquam hoc modo deſcribere placet, volue indicem volubilem hinc inde, donec per pinnacidiorum eius foramina omnium circumiacentium locorum tibi deſcribendorum ſitum ſeu potius deflectionem à meridie, ortu, ſeptentrione, vel occaſu ſecundùm ipſius indicis remotionem ab eis videas. Quo facto trahe in plano alio papiraceo circulum occultum ex vno puncto poſito ad libitum, eumq; diuidas in 360. gradus, vt ipſum inſtrumentum, & ſupradictas deflectiones ſeu ſitus locorum ab inſtrumento in hunc mediante circino transferas, trahasq; à

centro iam dicti circuli ad circumferentiam ipſius, rectas lineas occultas. Pòſt hæc proficiſcere ad aliud oppidum pro ſecunda ſtatione, atq; ibi ſimiliter agito cum angulis poſitionum omnium circumiacentium locorum, quos vbi habueris, pone punctum iſtius Oppidi in prædicto plano papiraceo à priori puncto in quacunque velis diſtantia, ſuper tamen ſua linea poſitionis, atque ex hoc puncto trahe circulum occultum, & Meridianum diſtantem à priori Meridiano vndique æqualiter. Demum trahe ex hoc puncto lineas poſitionum locorum iam inuentas, & vbi tunc ſit interſectio harum linearum cum prioribus primæ ſtationis, ibi notulæ & nomina ſcribenda ſunt pro talibus locis. Si verò contingat (vt nonnunquã vſu venit) quòd vtraque vice locus quiſpiam venerit in medio inter duo loca principalia, ſiue primum nota, tunc neceſſe eſt tertia vice hunc locum ex tranſuerſo aſpicere. Atque hoc modo non opus erit omnia prouinciæ deſcribendæ loca peragrare, ſed tantùm videre. Fluuiorum verò & littorum facilè deſcriptis Oppidis & Vicis ſecundùm ſuas hinc diſtantias, ortus & exitus habebuntur. Quòd ſi poſt deſcriptam hac ratione Chartam, placet etiam in certas dimetiri diſtantias milliarium, vide quot milliaria ſint inter duas Stationes, ac ſpacium inter duo centra circulorum in tot diuide partes æquales, & habebis Scalam milliarium quæſitam. Sciendum tamen eſt ſi Regio deſcribenda 60. 70. 80. vel etiam 100. milliaria non exceſſerit, hoc modo benè poſſe fieri: ſi quis autem totam Europam vel aliam Mundi partẽ ſic deſcribere voluerit, tunc totum negotium, mancum & imperfectum eſſe, quia nulla eſt cognatio plani ad rotunditatem & ſphæricam ſuperficiem terræ. Sed vt experientia certa veritatem indagare poſſimus, placet addere exemplum. En volo deſcribere aliquot loca Briſgoiæ regionis in vino frumentoq; fertiliſſimæ, & confero me Friburgum, vbi ante annos aliquot non ſine fructu, vtilitate, & ſumma etiam oblectatione auditorum duo totius Germaniæ lumina, hoc eſt, Hartungus & Glareanus fœlicis recordationis præceptores mei nunquam obliuiſcendi, Græcas, Latinasq; profitebantur literas; & aſcendo turrim maioris ædis, ponoq; inſtrumentum auxilio compaſſi ſecundùm plagas Mundi, & video circumquaque quæcunque poſſum loca, & video Krotzingen tendere à Meridie gradibus quaſi 46. in Occidentem. Stauffen arcem & oppidum à Meridie gradibus 23. in Occidentem. Sultzberg à Meridie in Occidentem gradibus 10. Kilchzart verò ab Oriente in Meridiem gradibus 5. Zeringen à Septentrione in Orientẽ gradibus 4. Waldkirch à Septentrione in Orientem gradibus 30. Hochperg à Septentrione in Orientem

tem gradibus 10. KentZingen autem à Septentrione in Occidentē gradibus 20. & Briſacum ab Occidente in Meridiem gradibus 6. declinare. Quæ quidem loca licet viſu conſpici nequeant omnia, adiecimus tamē pro exemplo, quæ ſatis ſint. His autē factis pono punctū in medio chartæ alicuius qui locum Friburgi ſignificat, & duco circulum occultū quem diuido primum in quatuor & adſcribo plagas Mundi, Orientē ſcilicet, Occidentem, Meridiem & Septentrionē. Quadrantem autem quemlibet in nonaginta partes ſeu gradus inuicem æquales, & mediante circino transfero ſupradictas lineas ſeu declinationes ab inſtrumento in hanc chartam, quam imperfectam cum lineis tantum relinquo, & recipio me cum inſtrumentis Briſacū Metropolim Regionis, pro ſecunda ſtatione, vbi iterū omnium quæ viſu adſequi poſſum locorum lineas poſitionis quæro, inuenioq́; KrotZingen á Meridie in Orientem declinare gradibus 26. Stauffen etiam á prædicta plaga gradibus 38. in Orientē, & SultZberg oppidulū gradibus 35. KilchZart ab Oriente in Septentrionem 4. Zeringen ab Oriente in Septentrionē gradibus 20. Vualdkirch ab Oriente in Septentrionē gradib9 30. Hochperg ab Oriente in Septentrionem gradibus 44. & KentZingen à Septentrione Orientem verſus gradibus 24. Inuentis igitur hoc modo atq́; ſignatis locorum deſcribendorū reflectionib9, quæro in charta incepta lineam Briſaci, in qua pono punctum diſtans á Friburgo quantum mihi placet, ex quo duco alium circulum occultū quem vt ſupra diuido in 360. gradus æquales adſcriptis etiam quatuor plagis Mundi, vt iam ante cum Friburgenſi prima ſcilicet ſtatione feci, ita tamen quod Meridianus ſecundi circuli ſit parallelus prioris circuli Meridiano. Deinde ex centro, quod iam Briſacū ſignificat, duco lineas poſitionum locorum præſcriptorū, adijciendo regulam centro & gradibus inuentis, vbi autem fit interſectio linearum cum priorib9 quæ ex Friburgo ducuntur, ibi ſingula loca ſignaui ac nomina eorum deſcripſi. Spacium porrò inter duas ſtationes Friburgum ſcilicet & Briſacum, diuiſi etiam in duas partes inuicem æquales, & habeo duo milliaria Germanica, diſtantiam nempè viatoriam inter prædicta duo oppida, & ſic per has diuiſiones ſoleo dimetiri omnia loca in charta deſcripta. Sed hæc & alia, exercitatio ſedula, & vſus omnium artium magiſter, tempore faciliora dabit, de qua re ſume ſequentem figuram quæ cuncta tibi ad oculum demonſtrat.



Aperto circino cape quæſiti loci diſtantiam, eamq; ad ſcalam hanc applica, mox numerus circini pedibus incluſus, miliaria indicabit. Quòd ſi diſtantia inuenta maior ſcala ipſa ſit, per partes rem expedire oportet.

CAPVT XXII.

De Diſtantijs inueniendis Arithmetica ſupputatione.

Tempvs eſt, vt videamus quoq; triplicem locorum differentiam. Quædam enim loca ſola latitudine differunt, vt ſunt loca, per quorũ verticem idem imaginatur Meridianus, & ſub diuerſis parallelis iacent. Quædam verò ſola longitudine, quemadmodum ſunt loca ſub diuerſis Meridianis ſita ac ſub eodem parallelo. Quædam deniq; longitudine ſimul & latitudine, id eſt, iacent ſub diuerſis & Meridianis & parallelis. Si itaque latitudine tantùm differunt, hoc eſt, ſi vnus eorum ſit altero aquilonior, & eorum menſuram terreſtrem noſſe deſideras, ſubtrahe latitudinem vnius à latitudine alterius, & videbis gradus, quos differentiam latitudinum nominamus. Hos multiplica per 15. milliaria Germanica, vel per 60. Italica, & apparebit eorundem locorum diſtantia. Sed Exemplo faciliùs forſitan accipies. En volo ſcire diſtantiam inter Lunneburgũ & SaltZeburgum, longitudo Lunneburgi inuenta eſt mihi 35. graduum. SaltZeburgi quoq; 35. graduum. Hæ duæ vrbes in longitudine nihil differunt, ſed æquantur; differunt tamen in latitudine, quia latitudo Lunneburgi eſt 54. graduum, SaltZeburgi verò 48. Demo igitur minorem à maiore latitudinem, & habeo 6. gradus differentiæ latitudinum, quos multiplico per 15. & habeo 90. milliaria Germanica, & per 60. & colligo 5400. Italica. Si verò gradibus differentiæ minuta aliquot adhæſerint, diuide ea per 4. & quotientem adde priori numero milliarium, & habebis quæſitum. Cùm enim vnus gradus vel 60. minuta 15. milliaria conſtituant, ſequitur 4. minuta efficere etiam vnum milliare. Gratia Exempli. Roma & Rhacanatum conueniunt in longitudine. Eſt enim longitudo vtriuſq; ciuitatis graduum 36. minu. 40. Differunt autem latitudine. Latitudo enim Romæ eſt 41. grad. 40. minu. Rhacanati verò latitudo eſt 43. grad. 22. minu. Differentia latitudinis grad. 2. 18. minu. quæ conſtituunt milliaria Germanica 34. cum ſemiſſe, vel 138. Italica ferè.

Diſtantiam duorum locorum longitudine tantùm differentium inuenire.

Sin autem longitudine differunt, & talium duorum locorum viatoriam diſtantiam ſcire volueris, conſidera primùm eorum latitudinem, quæ ſi 18. graduum metam non exceſſerit, pari lege, vt cum differentia latitudinum ſupra operatus es, & hic cum longitudi-

num differentia, multiplicando eandem per 15. vel per 60. dignoſces. Sed ſi horum locorum latitudo plus exceſſerit, quàm 18. gradus, minorem à maiori aufer longitudinem, & ingredere in tabulam conuerſionum graduum extra Æquinoctialem in gradus Æquinoctialis cum latitudine, & quot de minutis & ſecundis in linea minutorum Æquinoctialis reperitur, multiplica cum differentia longitudinis, & productum per 60. partire, & exibunt gradus Æquinoctialis, quos ſi per 15. aut per 60. multiplicaueris, habebis, quod quærebas. Sed exemplari calculo hæc clariora fiant. En volo ſcire diſtantiam inter Auguſtam Vindelicorum & Tubingam, longitudo Auguſtæ eſt 28. graduum, & longitudo Tubingæ 26. graduum. Differentia harũ longitudinum eſt 2. graduum. Latitudo verò harum ciuitatum eſt præciſè 48. graduum. Cum hac latitudine factus eſt ingreſſus ſupra in Tabulam conuerſionum, & oblata ſunt 40. minuta, 9. ſecunda: quibus ductis in 2. gradus productoq́ diuiſo per 60. (non curando de 9. ſecundis eis adiacentibus, vti nullius momenti exiſtentibus) productus eſt vnus gradus, & 20. minuta. Duco itaq́ gradũ vnum in 15. & produco milliaria Germanica communia 15. minuta quoq́ 20. diuido per 4. & exeunt milliaria 5. quæ ſuperioribus accumulando, elicio milliaria 20. viatoriam ſcilicet elongationem inter Auguſtam & Tubingam.

Diſtantiam itinerariam duorum locorum, ſimul longitudine & latitudine differentium addiſcere.

QVando autẽ duæ vrbes aut duo loca fuerint ſub diuerſis Meridianis & parallelis, hoc eſt, differunt tàm longitudine quàm latitudine, tunc operationem tuam ita inſtituas, ſcilicet aufer latitudinem à latitudine, & ſimiliter longitudinem vnam ab altera, & ſi non vltra 18. gradus ab Æquatore diſtiterint, reſoluito numeros in minimam denominationem: quo facto multiplica differentiam longitudinis in ſe, & ſimiliter latitudinis. Hæc duo producta adde, quibus additis iuxta penultimam primi Euclidis extrahe inde radicem quadratam, quam poſtmodum ducas in 15. & obtinebis quæſitum. Exempli gratia. Sint duo loca, quorum alterius longitudo eſt 48. grad. & latitudo 13. grad. Alterius verò latitudo 9. grad. & longitudo 37. facta ſubtractione iuxta regulam traditam prodijt differentia longitudinũ 11. grad. & latitudinum 4. grad. Quadratum differentiæ longitudinum eſt 121. grad. & quadratum latitudinum 16. grad. Hæc duo quadrata addita ſunt & productum, fuerunt 137. gradus, quorum radix quadrata, fuerunt 12. ferè gradus, quibus ductis in 15. prouenerunt 180. milliaria diſtantia nimirum viatoria propoſitorum duorum locorum.

Si ve-

Si verò vltra dictos gradus 18. diſtiterint ab Æquatore, tunc iterum confugiendum eſt ad tabulam conuerſionum graduum extra Æquatorem in gradus Æquatoris, hoc modo. Extrahe primùm differentias latitudinum & longitudinum, quas ſeorſum ſerua, deinde de differentia latitudinum accipe medietatem, quam aut latitudini minori adde, vel (& idem eſt) à latitudine maiori ſubtrahe, & facta additione aut ſubtractione, quod prodierit, ſerua, quia latitudo media nuncupatur. Deinde cum hac latitudine media ingredere in tabulam cõuerſionum: & quot de minutis & ſecundis inueneris, multiplica in longitudinis differentiam, & emerget numerus graduum, minutorum & ſecundorum Æquinoctialis, correſpondens gradibus differentiæ longitudinis extra Æquinoctialem, & vocetur differentia conuerſa. Hoc peracto differentiæ longitudinum & latitudinum ducantur in ſeipſas, proueniet'q; quadratus numerus. Hi deinde quadrati numeri coniungantur, & producti radix quadrata quæratur. Radix inuenta, & per 15. multiplicata, milliaria Germanica in producto dabit, vel ſi ſexagenario ductu rem proſecutus fueris, Italica extorquebis. Sed exemplari calculo res lucidior fiet, quàm multis verborum ambagibus. En volo ſcire diſtantiam inter Neapolim vrbem Italiæ clariſsimam & Coloniam Agrippinam, vbi (vt fertur) trium Regum corpora in ſancta requieſcunt pace. Longitudo Neapolis (vt Ptolomæus aſſerit) eſt 40. graduum; Latitudo autem 41. Coloniæ verò Agrippinæ longitudo eſt 28. grad. 40 minuto. & latitudo 51. grad. 30. minu. Subtraho igitur minorem à maiori longitudinem, & reſiduo 11. gradus & 20. minu. differentiam ſcilicet longitudinum. Similiter demo latitudinem minorem à maiori, & habeo 10. gradus, 30. minuta differentiam latitudinum. Iam medietatem differentiæ latitudinis, ſcilicet 5. gradus, 15. minuta, Neapolitanæ latitudini tanquam minori addo, & colligo 46. gradus, 15. minuta: quæ latitudo media dicitur, cum qua iuxta iam traditam regulam intro in tabulam Conuerſionum, & conuerto differentiam longitudinis in gradus & fractiones Æquatoris, & colligo 7. gradus, 30. minuta Æquatoris. Et ex quo in differentia longitudinum reducta, & etiam in differentia latitudinum habeo fractiones, ſcilicet ſemigradus, reſoluo gradus integros ambarum differentiarum in conſimilem denominationem, id eſt ſemigradus, & procreo ex differentia longitudinum conuersè 15. ſemigradus, & ex differentia latitudinum 21. multiplico igitur 15. in ſe, & produco 225. ſimiliter 21. duco in ſe, & produco 441. iungo producta, & habeo 666. huius numeri radix quadrata eſt ferè 26. ſemigradus, qui ad integra redu-

cti, faciunt 13. gradus, quos tandem multiplico per 15. & produco 195. milliaria communia diſtantiam oppidorum in hoc exemplo propoſitorum. Et ſic de reliquis.

SEQVVNTVR
LONGITVDINES
ET LATITVDINES QVARVNdam ciuitatum, quibus adoleſcentes uti poterunt ad exercendam doctrinam de locorum diſtantijs inueniendis.

EVROPÆ LOCA.

HISPANIÆ CIVITATES.

	Longitudo. G:	M:	Latitudo. G:	M:
Compoſtella	6.	0	44.	20
Portogalla	5.	48	41.	35
Liſibona	5.	10	39.	38
Hiſpalis	6.	36	37.	0
Corduba	8.	0	37.	30
Salmantica	8.	32	40.	15
Barſalona	10.	0	41.	35
Pintia	10.	10	40.	0
GALLIÆ CIVITATES.				
Burdigalia	18.	30	46.	0
Aurelia	22.	35	47.	15
Bizantium	28.	20	47.	36
Lugdunum	21.	25	45.	10
Pariſius	23.	20	47.	55
Marſilia	25.	15	43.	6
Monſpeſſulanus	24.	56	42.	5
Toloſa	21.	15	43.	30
GERMANIÆ MAGNÆ CIVITATES.				
Moguntia	30.	32	50.	8
Argentina	30.	4	48.	45
Baſilea	29.	50	47.	40
Conſtantia	30.	30	47.	30
Spira	31.	4	49.	20
Vormatia	30.	43	49.	44

Vlma

Vlma	32. 0	47. 22
Ratiſpona	33. 30	49. 24

Italiæ civitates.

Tridentum	30. 30	45. 18
Papia	28. 22	44. 50
Mantua	33. 0	44. 28
Venetiæ	34. 30	44. 50
Florentia	34. 30	43. 4
Mediolanum	32. 0	44. 30
Genua	33. 30	43. 50
Bononia	33. 5	43. 54

Græciæ civitates.

Adrianopolis	52. 30	42. 45
Dirachium	45. 0	40. 55
Conſtantinopolis	55. 30	43. 0
Stridona.	43. 30	44. 30
Athenæ	52. 45	37. 15
Ambracia	48. 0	28. 20
Thebæ	51. 10	38. 30
Megara	52. 0	37. 30

AFRICÆ CIVITATES.

Hippon	30. 30	32. 15
Thunetum	33. 0	32. 30
Cartago	34. 40	32. 40
Alexandria	60. 30	31. 0
Vtica	32. 0	32. 45
Meroe inſula	61. 30	16. 25
Tanis	62. 45	30. 50
Syene.	62. 0	25. 50

ASIÆ CIVITATES.

Nicomedia	57. 30	42. 30
Epheſus	67. 40	37. 40
Smyrna	58. 25	38. 25
Antiochia	70. 15	37. 20
Damaſcus	69. 0	33. 0
Hieroſolyma	66. 0	31. 40
Sidon	67. 0	33. 30
Tyrus	67. 0	32. 20

CAPVT XXIII.

De diſtantia duorum locorum inuenienda ratione Geometrica, per globum Geographicum.

SI diſtantiam duorum locorum quocunque modo differentium, Geometricè dimetiri deſideras. Accipe globum Geographicum, & vnius loci latitudinem ab Æquinoctiali circulo, polum verſus, in Meridiano mobili numera: qua numerata, circumuolue globum, donec iſte gradus Æquinoctialis (qui longitudinis gradum in præſentiarum tenet) directè ſit ſub Meridiano iſto mobili. Quo facto, in globo circa latitudinis gradum, fac ſignaturam, quæ ſitum dicti oppidi manifeſtum reddit. Hoc modo & pari lege alterius oppidi ſitum, & aliorum omnium inuenies. Deinde excipe circino intercapedinem dictorum locorum, transferq́; illam (inuariato tamen circino) ſuper circulum Æquinoctialem, & videbis quot gradibus Æquinoctialis oblata loca à ſe inuicem diſtant. Reſolutis autem gradibus in milliaria Italica vel Germanica, habebis diſtantiam milliariorum. Sed Exemplo res lucidior fiet, vt rectiùs me intelligas. En volo ſcire diſtantiam inter Baſileam & Hieroſolymam, & Baſileæ quidem longitudinem inuenio graduum 28. minu. 0. Latitudinem verò grad. 47. minu. 10. Hieroſolymæ verò Longitudinem 66. grad. minu. 0. Latitudinem autem graduum 31. minutorum 40. Excipio itaque circino diſtantiam earum, applicoq́; circinum ſic expanſum circulo Æquinoctiali, & inuenio 32. gradus & 52. minuta. Hos itaque gradus multiplico per 15. & emergunt milliaria Germanica, quæ ſunt à Baſilea ad Hieroſolymam circiter quingenta. Vel per 60. & 2500. milliaria Italica eliciuntur.

CAPVT XXIIII.

De modo, quo recta linea ſit in quotlibet æquales partes diuidenda.

PLACVIT vltimo loco huic priori parti adijcere modum, cuius ductu illicò lineam rectam in quotcunque volueris partes æquales diuidere abſque faſtidio poſsis, præſertim cum haud parùm Geomericis Geographicisq́; conducat diſciplinis. Nam frequentiuſculè in huiuſmodi demonſtrationibus expetitur talis ſectio & diuiſio. Si igitur lineam rectam quamcunque in cer-


in certas aliquot partes æquas diuidere cupis, fac duas lineas æquediſtantes cuiuſcunque volueris longitudinis, vno, duobus vel tribus ab inuicem diſtantes granis, digitis vel palmis, & obſigna primam literis A.B. & alteram literis C.D. Quo facto, trahe lineam rectam & ad angulos rectos concurrentem ab A. ad C. quæ duas iam factas lineas coniungat, & ſit A.C. Eodem modo trahes lineam à B. ad D. quæ ad angulos quoque rectos contingat lineas A.B. & C.D. hoc eſt, æquediſtans ſit lineæ A.C. conſtituantq́ quatuor hæ lineæ quadratum rectangulum, æquilaterum vel non æquilaterum, non refert, modo oppoſita latera ſint æqualia. Poſtea diuide lineam A.B. in 20. aut 30. aut 40. æquas portiones, iuxta quod illa longa aut breuis fuerit. Similiter ages cum linea C.D. Tandem contrahes ſingula puncta correlatiua per lineas æquediſtantes, & habebis inſtrumentum diuiſionis linearum. Adſcribendi tamen ſunt numeri tranſuerſis & æquediſtantibus lineis, incipiendo à linea, quæ mox ſequitur lineam B.D. Sed placet addere Exemplum, vt res facilitetur. Offertur tibi linea E.F. quam diuidere cupis in 11. æquales partes, nec vacat aut libet circinum toties expandere & comprimere, donec iuſtam vndecimam portionem deprahendas? age igitur ſic. Accipe cum circino longitudinem oblatæ lineæ, & circino inuariato pone vnum eius pedem in punctum B. alium verò ſic extenſum pone ſuper 11. lineam, & vbicunque pes ille vagus tetigerit eam lineam, ibi facias punctum G. Deinde trahe ex puncto B. ad punctum iam in 11. linea factum G. videlicet, lineam occultam vel apertam, & videbis eam diuiſam per tranſuerſas lineas in 11. æquas partes. Quòd ſi alia quoque linea videlicet H.I. in 17. partes diuidenda tibi oblata fuerit, accipe circino illius longitudinem, deinde pone circini pedem vnum in punctum D. alterū verò extende in lineam decimam ſeptimam, & fac ſignum K. & inuenies eam in 17. partes inuicem æquales diuiſam. Nec ſecus ages cum alijs. Quòd ſi lineas aliquas habueris minores, quàm vt eas diuidere poßis in hac figura, oportebit te pro 10. lineis tranſuerſis ſeu parallelis fingere viginti tranſuerſas, & pro viginti lineis ſignatis accipere 40. in minoribus ſcilicet lineis partiendis; pro maioribus autem ſeu longioribus neceſſe eſt, vt maius pares diuiſorium inſtrumentum. Hoc autem totum intelligendum eſt de diuiſione numerorum, qui nullam habent ſuæ integritatis menſuram, hoc eſt, qui non habent medietatem, nec tertiam partem metientem, nec quartam, quintam, ſextam, aut ſeptimam, quales ſunt 11. 13. 17. 19. 23. 29. &c. quia res eſt tædioſa & valdè mo-

dè moleſta, toties comprimere & expandere circinum quouſque ad optatam peruenias expanſionem, cuius menſura præciſè metiatur oblatæ lineæ longitudinem. Quando autem diuiſionis numerus in aliquotas poteſt ſecerni partes, vt ſi linea aliqua in ſexaginta æquales partes fuerit diſtribuenda, vt diuides eam officio circini primo in tres æquales partes, quarum rurſum quamlibet in viginti diſcriminabis. Sic triginta primò taxantur in tres decimas, & item 27. habent pro primis aliquotis partibus tres nonas; nona autem vna habet tres tertias; & vna tertia tres vnitates, in huiuſmodi inquam diuiſione non eſt magna difficultas, quando quis mediocriter exercitatus abſq; tali inſtrumento, mediante tamen circino, oblatas lineas facillimè diuidere poteſt. Atque hæc de lineis æqualiter diuidendis in quotcunque partes volueris, adiecto ſchemate optimè deſcripto, dixiſſe ſufficiat, vt ſit quoque deſideratus finis huius prioris partis. Deo optimo maximoq; ſit gloria ſempiterna.

AMEN.

INSTRV-

INSTRVMENTVM DIVISORIVM linearum.



AD PIVM ET CANDIDVM LECTOREM.

PIE & candide Lector, ne mihi infidelitatis vitium obijciatur vt quibuſdam, qui in huiuſmodi artibus,quas demonſtratione addiſcere oportet,malunt apud harum imperitos in admiratione haberi:quàm artem vel vſum eius alijs candidè impartiri, operæ precium me facturum exiſtimaui,quomodo tabulæ Geographicæ in proſpectum noſtrum ſint applicandæ, coronidis tandem vice,demonſtrare. Nam quemadmodum orbes cœleſtes nec manibus tractare,nec oculis videre poſſumus, ſed tantùm ſedula imaginatione appræhendere ſolemus,ſic in Geographia eas terreſtris machinæ partes,partiumq́; regiones, prouincias, maria, montes, flumina, vrbes ac multa alia, quæ noſtros (propter nimiam diſtantiam)

tiam ſenſus fugiunt, tantùm imaginando depræhendere oportet. Et ſicut in cœleſtibus plurimũ refert, quomodo quis inſtrumenta ad proſpectum ſuum ordinet; applicetq́; ſic in Geographia primùm Mappæ, vt vocant, diligenter ad quatuor plagas mundi ordinandæ ſunt, ita, vt Ortus Ortum, Occaſus Occaſum exprimat ac demonſtret. Quamuis igitur Geographiæ Studioſi, contemplaturi Mappas, faciem ad Septentrionem vertere à nonnullis præcipiantur, tamen cùm incipientibus leuia quæque facilè obſtaculo eſſe ſoleant, non inconſultum videtur, vt vertant faciem ad auſtrum, Mappasq́; inuertant, & imaginentur ſe ex Europa Mediterraneum mare, & vltra id Africam videre, quæ incipit à dextra, & progreditur in ſiniſtram. Id quod etiam plus ſemel ab Eraſmo Oſvvaldo Schreckenfuchſio præceptore meo in Mathematicis, dum Friburgi Briſiacorum operam Philoſophiæ nauarem, audiui. DEVS *Opt. Max. et retributor omniũ bonorum retribuat ei, ac omnibus, qui bonarum literarũ ſtudia prouehunt, æternam in regno ſuo quietem. Quam nobis etiam donare dignetur idem ipſe* DEVS, *qui eſt benedictus & ſuper exaltatus in ſæcula, Amen.*

Finis primæ Partis huius opuſculi.

SECVN-

RPJCB


VNIVERSALIS ORBIS DESCRIPTIO
MVNDVS NOVVS
EVROPA
ASIA
AFRICA
MARE GLACIALE
MVNDVS NOVVS SIVE
OCEANVS OCCIDENTALIS
AEQVINOCTIALIS CIRCVLVS
TROPICVS CANCRI
TROPICVS CAPRICORNI
CIRCVLVS ARCTICVS
CIRCVLVS ANTARCTICVS
AMERICA
MAGELLANICVS
TERRA AVSTRALIS NONDVM BENE COGNITA
POLVS ARCTICVS
POLVS ANTARCTICVS
¶. Cicero.
Equus vehendi cauſa, arandi bos, venandi & cuſtodiendi canis, homo autem ortus eſt ad mundū contemplandum.
¶. Cicero.
Quid ei poteſt videri magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusque mundi nota ſit magnitudo?
COGIMVR E TABVLA PICTOS EDISCERE MVNDOS.

SECVNDA PARS HVIVS OPVSCVLI DE PARTICVLARI ORBIS DESCRIPTIONE.

CAPVT PRIMVM.

De Europa eiuſqûe partibus maioribus.

QVAMVIS *Europa vnde nomen acceperit, aut quis eius author fuerit, à nemine mortaliũ ſciri potuit, vt author eſt Herodotus libro quarto, tamen vt multi aſſerunt ab Agenoris regis Phænicum filia, quam Iuppiter forma bouis aut vituli ex Africa raptam abduxit in Cretam, appellata eſt. Habet terminos ab oriente Tanaim, et Mœotida, ac Helleſpontum, à meridie verò mare mediterraneum, quod etiam noſtrum dicitur, ab occidente Atlanticum mare & Gaditanum fretum, à Septentrione Britannicum oceanum, ac Germanicum. Eſt terra eximiè fertilis, habens naturalem temperiem, cœlumq́ſatis clemens, frugum, vini & arborum copia nullis poſt habenda, ſed optimis terris comparanda. Eſt adeò amœna, pulcherrimisq́ vrbibus, caſtris, vicis et pagis exornata, virtute deniq́ populorum tàm præſtans, vt longè ſuperet Aſiam aut Africam, quantumlibet illæ terræ ſint maiores. Eſt tota habitabilis, præterquàm in exigua parte, propter frigoris vim inhabitabilis, quæ finitima Tanaidis & Mœotidis incolis Boryſthenenſibusq́, in curribus more vagorum Arabum degentibus. Habitabilis autem regionis id, quod eſt algidum & montanum natura, laborioſè habitatur. Sed quod in plano eſt & naturalem habet temperiem, multum iuuat ea loca, quæ aſperiora ſunt, quandoquidem id, quod eſt in fælici regione, pacificum omne eſt, & quod in triſti, pugnax, accipiuntq́ hæ gentes aliqua inter ſe beneficia, dum aliæ opem armis ferunt, aliæ fructibus & artibus morumq́*

doctrina. Habet enim Europa multitudinem pugnacem, habet & quæ agros colat, quæq; vrbes contineat. Affert fructus optimos vitæ neceſſarios, & metalla quæcunque vſui neceſſaria ſunt. Odores verò ad ſacrificia, nec non multi ſumptus lapillos extrinſecùs petit. Similiter pecudum mitium exhibet copiam, at beſtiarum ferarumq; habet raritatem. Regiones in ea iuxta Ptolomæum ſunt 34. quarum prima eſt Hybernia, inſula Britannica, Albion ſimiliter inſula Britannica, Hiſpania Bethyca, Hiſpania Luſitania, Hiſpania Tarraconenſis, Gallia Aquitanica, Gallia Lugdunenſis, Gallia Belgica, Gallia Narbonenſis, Germania magna, Rhetia, Vindelicia, Noricum, Pannonia ſuperior, Pannonia inferior, Illyris & Dalmatia, Italia, Cyrnus, Sardinia, Sicilia, Sarmatia in Europa, Thaurica Cherſoneſus, Iazyges Metanaſtæ, Dacia, Myſia ſuperior, Myſia inferior, Thracia, Cherſoneſus, Macedonia, Epyrus, Achaia, Peloponneſus, & Creta inſula. De quibus paucula quædam Laconica breuitate, quæ ſtudioſis non inutilia fore exiſtimamus, partim ex Ptolomæo, partim ex recentioribus cùm Geographis tùm Hydrographis ſecundùm ordinem dicemus, & primùm de Regionibus, quæ libris ſecundo ac tertio apud Ptolomæum continentur.

CAPVT SECVNDVM.

De Inſulis Britannicis.

HYBERNIA *Inſula non procul ab Anglia, vulgo Hirlandia nuncupata, dimidior minor (vt exiſtimatur) quàm Britannia, ſed pari ſpatio tranſmiſſus, atque ex Gallia in Britanniam. Habet nomen ab Hybero Hiſpano, qui congregauit magnam hominum multitudinem, eoq; commigrauit, vel ab hyberno tempore (vt quidam putant) propter hyemis magnitudinem. Hæc itaque à Septentrione Hyperboreo alluitur Oceano, ab occaſu occidentali, à meridie vergiuo, & ab ortu Hybernico. Forma eius oblonga eſt ouo non diſſimilis, atq; in Regiones quatuor diuiſa. Pars enim quæ ad orientem eſt Angliæ proxima, Laginia dicitur, quæ Gallicum proſpicit littus Momonia, occidentalem partem Connaciam Septentrionalem, Hultoniam vocant. Laginiam à Momonia ſeparat Suerus flumen, ab Hultonia Boandus, Momoniam à Connacia diſcriminat Sineus. Maximam inſulæ partem tenet Anglus, reliqua à Regulis*

gulis gubernatur. Epiſcopatus habet 50. quorum primas eſt Armacanus. In hac quoq; ferunt eſſe purgatorium Diui Patricij, atq; miram cœli temperiem, nihil venenatum gignit, nec aliunde importatum nutrit. Gens moribus incultior, bello, latrocinijs, & muſica gaudet. Porrò Hyberniæ ſuperiacent quinq; inſulæ Ebudæ dictæ, quarum incolæ (vt ſcribit Solinus) lacte ſolùm & piſcibus vitam agunt.

Anglia, quæ Britannia ab eruditis dicitur, inſula inſignis in Oceano, quæ vndiq; à circumfuſo mari complexa eſt nuſquam iuncta continenti, ſed ab omni orbe noſtro diuiſa, quæ quondam ab albis rupibus, quas mare vndiq; abluit, Albion dicebatur. Hanc primum Troës incoluerunt, qui Troia diſiecta fugerunt, exciſam patriam, Palladisq; oraculo claſſe in hanc inſulam migrauerunt, atque gigantes tunc inſulam tenentes multis victos prælijs expugnauerunt. Hanc poſtmodùm longo temporũ tractu, Saxones illuſtriores Alemanniæ populi oppreſſère, agrosq; & opeis inter legatos Saxonum Regina Angela diuiſit. Atque vt linguæ pariter & gentis memoria in deuicta inſula ſempiterna foret, ab Angela, cuius ductu victa eſt, Angliam tellurem illam vocauit. Quanquam plerique Angliam veluti noſtri orbis angulum prædicent dictam. Situs ipſius eſt, vt contra aſpectum Galliæ et Hiſpaniæ ſita ſit. Eius ambitus quadrageſies octies, & ſeptuaginta quinque millibus paſſuum conſtat. Diuiditur hæc Inſula in duo Regna; pars enim auſtralior, quæ & fertilior eſt, & vrbibus frequentior, & moribus ciuilior, Anglia dicitur: quæ autem Septentrionalior, montibus aſpera, & ob intentiſſimum frigus infertilior, Scotia nuncupatur. Dirimitur Anglia à Scotia, ad orientem Tueda, ad occidentem Solueo fluminibus, Mediterranea, mons Cheuiota diſcriminat. Habet Anglia Epiſcopatus 22. quorum decem & octo Cantuarienſi Primati parent, duo autem Eboracenſi Archipræſuli. Gymnaſia item celebria duo, Oxonium & Cantabrigiam: Conuentus, quos & comitatus vocant 39. In Scotia autem Epiſcopatus ſunt 13. quorum nouem S. Andreæ Archiepiſcopo Primati, duo Archiepiſcopo Glacuenſi ſubſunt. Comitatus habet 22. Abundat Anglia, ſtagno, plumbo, ferro, lana optima, pecore, & frumento. Scoti piſcibus, pecore & lana. Lupos non habet Anglia. Scotia permultos. Diuidunt Angliam in tres veluti Regiones, tria ingentia flumina, Tameſis, Sabrina, Humbrus. Scotiam item tria. Clauda, Forthea, Taus. Regia Angliæ eſt Londinum. Scotiæ Edinburgus. Legibus vtuntur Angli municipalibus tantùm, ciuilibus Scoti. Eadem vtrique genti in bello ferocia, ſagittis Angli, haſta longa Scoti in acie præualent. Rara inter eos pax,

dum

dum illi propagare, iſti retinere imperium ſtudent. Obiacent Scotiæ ad occidentem in Hibernico mari, inſulæ 43. Eboniæ, ſiue Hebrides dictæ. Harum prima, & Epiſcopali ſede, & antiquiſsima Druidum memoria, Mona erat, noſtro autem ſeculo Anglo paret. Ad Septentrionem ſunt Orchades inſulæ 30. hordeo, piſcibus, cuniculis, abundatiſsimæ, inter has primas tenet Pomonia, & magnitudine cæteras vincens, & Epiſcopali ſede, & regio caſtro ornata. Vltima omnium in ditione Scoti eſt Thyle: polum habens eleuatum gradibus 63. in qua cùm Sol Cancrũ occupat, tenebræ aut nullæ, aut perbreues. Hæc hodiè Cambria dicitur, à qua vnius diei nauigatione, vt ait Plinius, mare Cronium, inquo Iſlandia eſt, ad quam etiam nunc mercatores Angli piſces emendi cauſa in ſingulos annos æſtate commeant.

CAPVT TERTIVM.

De Hiſpania.

HISPANIA *maxima Europæ regio et prima pars continentis, à montibus Pyrenæis incipit, & per columnas Herculis circuiens, vſq; in Borealem Oceanum protenditur, ita vt omnia in eo circuitu ad Hiſpaniam ſpectent. Decem millibus ſtadijs (vt Apianus ſcribit) eius latitudo commenſuratur. Longitudo prorſus eadem eſſe videtur. Terra frumenti, vini, olei, auri, gemmarum, metallorumq; ferax. Ex qua etiam bellicoſiſsimi viri, ac Oceani nauigationibus ad incompertas regiones toto orbe ſunt clariſsimi. Refert Varro in Hiſpanijs equas ex vento concipere, quòd curſu tàm veloces exiſtant, vt meritò ex ventis concepti equi ferantur. Plinius lib. 3. Italiæ confert, quòd pulchritudine regionis, ingeniorum fœcunditate, fructuũ magnitudine facilè cæteras regiones antecellat, tũ quia in vicino Fortunatæ inſulæ adſunt; tum etiam quia quarto Climati ſubeſt, quod optimam ad omnia temperiem præſtat. Eſt in Hiſpania principum virorum, ducum, marchionum, comitum, et baronum ingens numerus. Cardinalatus habet octo, Archiepiſcopatus nouem et Epiſcopatus 46. Sunt præterea in ea ordinũ equitũ magni magiſtri, vt Sancti Iacobi Alcantaræ, Calatrauæ, S. Ioannis, Montenſæ, equitum quos vocant de .*CHRISTVS, *& alij cognomento Dauis. Hiſpania olim in tres fuit diſtincta partes, Bœticam ſcilicet, Luſitaniã & Tarraconenſem. Et ſecundũ Beroſum primus Rex eius fuit Tubal, Nohæ nepos, qui videns terrã aptam pro pecoribus nutriendis, ſtuduit in ea propa-*

propagare rem pecuariam. Vnde & terram hinc vocatam putant Tarraconam, quaſi תּוֹי אִסְמְיָא *id eſt, boum poſſeßio. Hinc ſucceßit Iberus, à quo fluuius Iberus denominatus eſt, & regio, quam perlabitur Celtiberia. Sextum regem aſſerunt fuiſſe Bœtum, à quo Bœtica regio nomen accepit. Decimus rex fuit Hiſpanus, aut ſecundùm alios Hiſpalus, qui toti regioni Hiſpaniæ nomen reliquit. Duodecimus fuit Heſperus, à quo etiam Hiſpania Heſperia appellata eſt. Decimus ſeptimus fuit Luſus, à quo Luſitania, quæ hodiè eſt Portugallia, denominata eſt. Et cum Romani rebus in Hiſpania potirentur, diuiſa eſt regio in duas prouincias, Bœticam ſcilicet & Tarraconenſem, durauitq́ hæc diuiſio vſque ad tempora Athilæ, qui aliam in regione illa fecit prouinciarum diuiſionem. Poſteris verò temporibus diuiſa fuit in quinque regna, Galliciam, Nauarram, Caſtiliam ſeu Legionum regnum, Cathaloniam, quæ & Arrogonia eſt, Portugalliam & Granatam. Galliciæ regnum amiſſo legitimo hærede Tarraconenſi incorporatum eſt, & ideò in numerũ non venit. Adiacent Hiſpaniæ inſulæ in extremo quidem Oceano Gades, Herculi ſacra, & Londobris. In Cantabrico verò Oceano, quæ nominantur Trileuci ſcopuli tres. In occidentali autem Oceano inſulæ decem Caßiterites à plumbi ſtagniq́ copia, quod* κασσιτερός *dicitur, dictæ. Præterea Deorum inſulæ duæ. In Iberico etiam pelago aliæ duæ Ebyſſus & Ophiuſa. In Balearico quoque pelago ſimiliter duæ, Olim Gymneſiæ dictæ, quod Bœoti ex naufragio eò nudi euaſerint. Poſtea verò à telis fundæq́ iactu (quod Græcè* βαλλεῖν *dicimus) Baleares ſunt appellatæ, vel à Baleo Herculis comite ibi relicto. Has vulgus Maioricam & Minoricam appellat.*

CAPVT QVARTVM.

De Gallia.

G*ALLIA poſt Pyrenæos montes ſequitur, inter Hiſpaniam Germaniamq́ & duo maria, Oceanũ et mare noſtrũ ſita. Hæc à Galate rege, filio Herculis, qui cõdita vrbe Alexia, quã poſteris temporibus Iulius Cæſar fregit, in Burgundia ſedem collocauit, regio ipſa Galatia nũcupata fuit. Romani autem dementes vnã ſyllabam pro Galatia Galliam appellauerunt. Alij verò putant Galliam deriuari à lacteo & candido colore populi:* γαλα *enim lac latinè dicitur, quod Galli candidiores eſſent Hiſpanis. Nam montes & rigor cœli ab ea parte Solis ardorem excludunt, vt*

eorum

eorum corpora non colorentur. Francia etiam à Francis Germaniæ populis, à quibus olim ferè tota ſubacta eſt, vocatur. Eſt autem triplex Gallia, Tonſa ſcilicet ſiue Togata, quæ etiam (vt Plinius ait libro tertio) Ciſalpina dicitur, Italiæ finibus incluſa. Comata cognominatur omnis Tranſalpina Gallia, quam in tres prouincias à tribus populorum generibus Hiſtorici diuiſerunt, Belgicam videlicet, Celticam, & Aquitanicam, quæ etiam Aremonica olim vocabatur: terminos illarum ita ſtatuentes, vt à Scalde ad Sequanam Belgica ſit dicta, mox Celtica ab eo ad Garumnam, inde ad Pyrenæi excurſum Aquitanica. Auguſtus autem Cæſar Celticam in Galliam Lugdunenſem & Narbonenſem, quæ etiam Braccata à genere veſtium dicta eſt, diuiſit, quam diuiſionem omnes poſteriores ſequuti ſunt Geographi, & præcipuè Ptolemæus. Quamuis Amianus in multiiugas prouincias eam diuiſit, vtpote, qui primam & ſecundam Lugdunenſem, & primam & ſecundam Aquitanicam faciat. Habet Gallia Cardinalatus octo, Archiepiſcopatus duodecim, & Epiſcopatus 96. Eſt Gallis multa religio in templis, in religione ſanctitas ſacrorumq́; Antiſtitum maieſtas, in Clero dignitas & veneratio multa, frequens in cæremonia cantus, & ob eam rem Muſicæ ſtudium his propemodùm peculiare. Liberales quoq; artes illis curæ eſſe, & inprimis diuinarum literarum ſtudia, teſtis eſt Pariſienſis Academia, poſt ipſam Toloſana iuriſperitorum mater, & aliæ plurimæ; ſed omnium, quæ in orbe ſunt clariſſima Pariſienſis. Ad quam vniuerſi ex Europa ferè Chriſtiani ad Theologiam, Philoſophiam, ac liberales cæteras diſciplinas ediſcendas concurrunt. Sed ſi mores hominum noſſe quoque cupis, ignea mens illis, mobile pectus, rerum ſitibundi nouarum, læti, alacres, & in conuiuia proni. Cauſidicorum nomen apud Iuuenalem obtinuêre Galli, hodieq́; tenent, vt qui forenſia litigia pro re interim minima concitent. Quod Germani & Hiſpani nunquam niſi coacti faciunt. Vnde affirmare auſim, plures eſſe aduocatos, procuratores, et tabelliones in vna Gallia, quàm in decem Germanijs ac Hiſpaniis. Senatorum ordines, Parlamenta vocant, in aliquot vrbibus pulchrè ſunt inſtituti, vt Pariſiis, Rothomagi, Toloſæ, Burdegaliæ, & Gracinopoli. Quatuor cuique præſides, & conſiliarij plurimi. Hi quaſi Druidum concilij ſucceſſores de rebus magnis & appellatione remota ſententiam ferunt. Arreſta vocant, quæ deinceps pro lege ſeruantur. Cæterum Baptiſta Mantuanus lib. 2. in Dionyſio ſuo, de Gallia, eſt (inquit.)

Terra hominum, frugumq́ue ferax, armenta, gregesq́;
Vberibus paſcens glebis, non languida cœlo

Tabifico,

Tabifico, non mortiferis infeſta venenis,
Vt Libyæ, non perpetuis adoperta pruinis,
Sicut Hyperborei montes, non torrida ab æſtu,
Qui faciat ſteriles, vt decolor India, campos.
Non etiam noctis pallens ſemeſtribus vmbris,
Quale ſub Arcturo poſitum mare, & vltima Thyle.
Sed me vt Ægyptus, qua fuſa paluſtribus vndis,
Sed cœlo & teneræ fæcunda vligine terræ.

Porrò Narbonenſi Galliæ adiacent inſulæ in mari Gallico, Agatha, Blaſcon, & Stychades numero quinq;, & Leronæ ſub Varo fluuio.

CAPVT QVINTVM.

De Germania.

Ermania, cognomento magna, terra virorum diues & populis (Solino teſte) numeroſis frequens, à Gallis olim Rheno flumine diuiſa fuit, à Rhetis & Pannonibus Danubio: à Sarmatis Daciiſq; metu mutuo ac montibus ſeparata, cætera ambiebat Oceanus, latos ſinus & inſularum immenſa ſpatia complectens. Rhenus Rheticarum Alpium inacceſſo, & præcipiti vortice ortus, modico flexu in occidentem verſus, Septentrionali Oceano miſcetur. Danubius molli & clementer edito montis Arbonæ iugo effuſus, plures populos adit, donec in Ponticum mare ſex meatibus erumpit, ſeptimũ os paludibus hauritur. Germania hodiè extra hos enumeratos fines, Rhetiam, Vindeliciam, Noricũ & ſuperiorẽ Pannoniam, Alpes, partemq; Illyridis, & vſque ad Tridentina clauſtra obtinet. Belgarum quoque ferè tota natio Gallici quondam iuris, omniſq; Rhenus in Germaniæ nomen, linguamq; conceßit, vt iam ſe Gallos dici neſciant; ſi audiant, indignentur. Heluetij quoque in Germaniæ nomen & linguam, labente tempore, tranſiêre. Itaque magnam Galliæ Tranſalpinæ partẽ ipſa Germania ſibi vendicauit. Pruthenos inſuper, ferociſsimam gentem, & idolis deditam intra tricenteſimum annum, ex infidelium manibus milites Teutonici vi & armis rapuerunt, vbi & lingua Teutonica introducta eſt, & Christi cultus genti imperatus. Vnde habita ad primæuos illius terminos cõſideratione, videbitur certè illa ſibi ferè plus ſoli extra vſurpaſſe, quàm intùs priùs continebat. Nam Germani omnes regiones & populos, qui lingua vtuntur Teutonica, ſibi aſſerunt, quantumuis varia ſit huius linguæ dialectus. Cæterùm Germaniæ nomen non tàm vetuſtum eſt, vt Teutoniæ. Nam ſcribit Beroſus, Ianum, qui & Noë, Tuiſconem filium ſuum

in Europã miſiſſe, et illi tradidiſſe regnũ à Tanai ad Rhenum vſq̃, à quo Germani diu ab Italis et Gallis Tuiſci vocati ſunt, quod nomẽ adhuc in omniũ Germanorũ ore verſatur videlicet die Teutſchen. *Vocati ſunt et Teutones, à Teutone nono Rege; et Alemanni, à Manno Tuiſconis filio. Germani verò longo poſt tempore ab exteris nationibus præſertim Gallis et Italis dicti ſunt. Cuius nominis rationẽ eſſe putant, quòd belli tempore fraterno animo cõmunia cũ illis tulerint pericula & ſucceſſus. Eſt tamen et alia nominis Etymologia. Nã German, ſignificat propriè & Germanicè, qui auet viro congredi, quaſi* gert deß Manns / *vnde Germaniæ vocabulũ exortum eſſe putat Ioannes Auentinus vir ſanè non ſolùm ſingulari eruditione præditus, ſed etiam rerũ antiquarũ ſagaciſsimus indagator. Diuiditur autẽ velut ab initio tota Germania in Superiorem & Inferiorem mediante fluuio Mogono. Inferior habet hac noſtra ætate Lotharingiam, Brabantiam, Flandriam, Gelrhiam, Selandiam, Holandiam, Phryſiam, Weſtphaliã, Haßiam, Saxoniam, Daniam, Pomeraniam, Liuoniam, Prußiam, Sileſiam, Morauiam, Bohemiam, Myſniam, Marchiam Brandenburgenſem & Thuringiam. Superior verò habet Franconiam, Auſtriam, Styriam, Bauariã, Atheſim, Sueuiam, Rhetiam, Heluetiam, Alſatiam, et omnes prouincias ad Rhenum ſitas, vſq̃ quo Mogonus in Rhenum influit. Inferior eo tempore, quo Roma floruit, cultior fuit ſuperiori. Nam ſcribit Cornelius Tacitus, Germaniam olim fuiſſe horridam ſyluis & paludibus infæcundam, frugiferarumq́ arborum & omnis culturæ impatientem, id quod non de tota Germania, ſed de ea, quam Rhenus & Danubius includunt, dixiſſe accipiendum eſt. Obducebatur enim tunc ferè tota Sueuia, inferior Bauaria & Franconia, Hercynia ſylua. Nunc verò tota colitur, adeò vt Hercyniæ ſyluæ nullæ reliquiæ ſuperſint, prӕterquàm in locis montoſis, vt eſt in Nigra ſylua, in Ottonica, Speshartica et Bohemica ſylua. Sed nec loca illa, quantumlibet horrendã præ ſe ferant faciem, carent habitatoribus, ciuitatibus, arcibus, monaſterijs & villis, præſertim cùm ex conuallibus inſignes vndiq̃ amnes procurrant, & cuncti in Rhenum & Danubium ruant, & mirum in modũ per eos populus vnus alteri ferat opem, adducatq́ ea, quæ apud ſe abundant & alibi deſiderantur qualia ſunt ligna ædificijs apta, metalla, picearum arborum liquor, caſei & butyrum, quæ ex montoſis locis in magna copia in terram planam euehuntur, & pro eis frumentum & vinum reportantur. Quàm celebres vrbes intra quadringentos annos in Superiori & antiqua Germania exortæ ſint, nemo eſt, qui id ignorat, niſi qui nõ vidit Nurinbergam, Vlmam, Herbipolim, Bambergam, Vratiſlauiam,*

tiſlauiam, Ambergam, Norlingam, Heltprunnam, Heidelbergam, Stuckgardiam, Thubingam, Friburgum, & alia pænè infinita oppida, quæ intra Rhenum et Danubiũ poſt tranſlatum in Germanos imperium ſunt extructa. Dici nequit, quantũ iſta ſuperior Germania in oppidis, caſtellis, & vicis, arcibus, monaſterijs & pagis creuerit poſt memoratũ tempus, vt vix ſatis loci fuerit tot Ducibus, Lantgrauijs, Marggrauijs, ſeu Marchionibus, Burggrauijs, Palatinis comitibus, Comitibus Liberis, Baronibus, Nobilibus, Epiſcopis, Abbatibus et Præpoſitis, in quos tota Germania, exceptis imperialibus ciuitatibus, quæ Imperatorem dominum agnoſcunt, eſt diſtributa & exornata. Multa ſunt profectò, quæ de Germania clariſsima natione hîc occurrerent ſcribenda, ſed temporis anguſtia cogit nos abbreuiare ſermonem, ideò quantũ ad terræ naturam et fertilitatem attinet, nec Italiæ, nec Galliæ, neq; denique Hiſpaniæ cedere videtur. Habet enim cœlum ſatis clemens, campi fertilitatem optandam, frumentorũ abundantiam, vitiferos montes, colles apricos, opaca nemora, amnes piſcoſos, quibus facilè cũ fertiliſsimis prouincijs certare poſsit. Sunt fontes aquæ dulcis, ſunt thermæ calidæ, ſunt aquæ, quæ vini ſaporem referunt, ſunt mineræ ſalis plurimæ. Metallorum autem copia, nullis vnquam ceſſura eſt regnis. Quin etiam vrbanitas, & ciuilitas morum, rei militaris peritia, apparatusq; bellorum, et nobilitas nullibi, reor, maiori in precio ſunt, atq; apud Germanos. Sunt etiam Germanis, quod nemo negare queat, ingenia nouis inueniendis diſciplinis prompta, & felicia. Nam machina illa bellica, quam bombardam vocant, nonné Germanorum inuentum eſt? Inuentum Germanorum eſt Calcographia, quo nihil vnquam vtilius vidit humanus oculus. Quòd hodiè tàm florent literæ Latinæ, Græcæ et Hebraicæ, cui acceptum referemus? nonné Germanis? præterea in Architectura, itemq; in pictura, nullis vnquam gentibus inferiores inuenti ſunt Germani. Porrò veſtitus Germanorum indies mutatur, ſanguinarijs militibus ſemper aliquid noui ex bellis afferentibus, vnde illis etiam increbuit & incruduit, potandi, iurandi, lacerandi veſtes, ociandi & ludendi peſſima conſuetudo.

Quam ſi bellipotens Germania tolleret, hercle,
    Clarior hac nuſquam natio gente foret.

Inſulæ Germanicæ adiacent iuxta Albis fluuij oſtia tres, Saxonum appellatæ. Supra autem Cimbricam Cherſoneſum aliæ tres Alociæ dictæ. Ab orientali parte Cherſoneſi quatuor Scandiæ nuncupatæ, tres quidem paruæ, vna verò magna, de qua poſtea Capite 19. latiùs dicetur.

CAPVT SEXTVM.

De Rhetia, Vindelicia, Norico, Pannonijs duabus, Illyri, & Dalmatia.

RHETIA (vt ait Volaterranus autoritate Trogi) à Rheto duce Hetruſcorũ dicta, qui expulſus à Gallis ab Italia, eam occupauit, ab occaſu Heluetijs ſeiunctis ab ea monte Adula, qui ab Alpibus in Boreã extenditur, deinde linea, quæ coniungit fontes duorum amnium Danubij videlicet & Rheni, ab ortu Lyco fluuio, qui in Danubiũ exit, à Septentrione Danubio, à Meridie Alpibus terminatur ſupra Galliam Ciſalpinã. Hæc nunc cũ parte aliqua Vindeliciæ Sueuia dicitur, quæ etiam vltra Danubiũ protenditur, terra partim plana, partim mõtoſa. Ager fertilis, cuius nulla pars inculta iacet, præterquã aut lacus, aut montes vel ſyluæ occupant. Nemora in ea multa, & ob id genti venatio frequens, aucupiũ peculiare, frumentorũ abundantia, pecorum magna vis. Conualles plurimæ perennibus riuis clariſſimæ, vndiq; amnes procurrunt, qui ſe vniuerſi in Rhenũ et Danubium exonerant. Tota inſuper prouincia ſalubritate gaudens, celebratiſſimis vrbibus, vicis & caſtellis referta. Arces excelſæ, natura et arte munitæ, et quod ad Chriſtianam religionẽ pertinet, pulcherrimis atq; ditiſſimis templis, collegijs, monaſterijs variorũ Ordinũ ſexus vtriuſq;, baſilicis, parochialibusq; eccleſiis eſt exornata. Circa montes ferrũ, argentum, & metalla procreat. Gens populoſa, fortis, audax, & bellicoſa, procera corpore, flauo crine, venuſta facie, & decora, ingenio ſingulari prædita, præſtantiſſima Germanorũ à Plutarcho dicta. Cuius gloria eo vſque creuiſſe memoratur, vt virtute & armis Imperiũ orbis meruerit, illudq; vltra vnius ſæculi ſpacium magnificentiſſimè tenuit. Sed viduata poſteà ſuis principibus, neſcio qua fortunæ iniquitate dicã aut ignauia, mox ſubſtitit, quaſi non extet, qua famam ſuam extendere, aut quod minus eſt, tueri poſſit. Poſt Rhetiam verſus orientem, ſequitur Vindelicia, ſicuti à Ptolomæo libro 2. ſcribitur, cuius nomen ab Vndeinlec, ſeu Vindenlec, Germanico vocabulo, quod infra Lycum declarat, commutatis, additisq; litteris (ſicut conſuetudo ſcriptorum eſt) detortũ eſſe exiſtimat Ioannes Auentinus. Eſt autem inter Rhetiam, quam habet ab occaſu, & Noricum ab oriente. Eam Lycus amnis diſterminat à Rhetia. Ænos fluuius diuidit à Norico. A Septentrione Danubio terminatur, à Meridie Alpibus ſupra Italiam extenſis. Hæc Rhetia ſecunda, à quibuſdam vocatur, et propemodum

dùm tota ditioni Illuſtriſsimi vereq́ pientiſsimi Principis Wilhelmi, Comitis Palatini Rheni, ac vtriuſq; Bauariæ Ducis hodiè ſubdita eſt, frequens cultiſsimis oppidis, & vicis, ſed recentibus, præterea fertilis agri, niſi quòd vini nuſquam (quod ſciam) eſt ferax. Pars, quæ Alpibus attollitur, argenti ſalisq́; fodinis nobilis. Qui habitant Boiorum genus & Marcomannorum exiſtimatur, qui è proxima Germania quondam, collapſis imperij Romani viribus, hanc prouinciam migratione facta, ſint ingreſsi. Eius ciuitas inſignis eſt Auguſta Vindelicorum ad Lycum amnem. Vindelicos vicit quondam Druſus, in cuius laudem cecinit Horatius libro 4. Ode. 4.

Videre Rheti bella ſub Alpibus
Druſum gerentem, & Vindelici.

Noricum ampliſsima prouincia, à Norico primogenito Herculis Alemanni filio nomen habens, vt lib. 2. ſcribit Ptolomæus, limites habet ab occaſu Ænum fluuium, qui medius eſt inter Vindelicos & Noricos, à Septentrione Danubium, ab ortu Solis montem Cæciũ, qui ab accolis Mons caluus vulgò Calenberg dicitur, qui Pannoniam Superiorem diſterminat à Norico, à Meridie montem Caruancam, qui eſt ſuper Iſtriam. Eam nunc regionem pleriq; Bauariam appellant. Terra in vniuerſum ſatis ferax, & diues venis, auri, argenti, ferri, chalybis, & ſalis fontibus inexhauſta. Præterea frumento, pecore, piſcibus, feris (in ſumma) omnibus, quæ ad victum, cultũ, et vſum vitæ ſpectant, ſatis ſuperq́; abundat. Sues inſuper glandibus ſylueſtribusué pomis credo tanta copia nutrit, vt veluti Vngaria boues, ita hæc ſues cæteris Europæ nationibus largè ſuppeditet. Nulla profectò Germaniæ prouincia pluribus cultioribus vrbibus illuſtratur. Clariſsima vrbs Saltzeburgum, à Saltza amne interfluo Germanis vocata, quæ Iuuania eſſe creditur, Metropolis eſt. Monachiũ Ducalis ſedes hodiè, olim Reginoburgiũ ſeu Ratisbona fuit. Beatus Lucius Britanniæ Rex, deinde S. Rupertus, vltimo Bonifacius Moguntinus Archiepiſcopus Chriſtianam fidem edocuit. Vnde Chriſtianæ pietatis obſeruandiſsimi ſunt, & illorum multi ad externa auguſtiora templa turmatim peregrinantur. Aquiſgranum præcipuè, duo etiam prouinciæ loca, virginem Mariam Otingæ, & beatum Wolffgangum. Conueniunt etiam ſingularum ſeptimanarum ſexto die in Cænobio Schirenſi, vbi pars ſalutiferæ crucis Chriſti monſtratur. Et vt fama conſtantiſsima manet, quicunque hanc ſacroſanctæ Crucis partem, dum monſtratur, conſpicatus non fuerit, aut crimini flagitioſo obnoxium eſſe, aut eodem anno procul dubio moriturum, id quod probatum non ſemel eſſe, ſunt qui dicant.

Sed de Bauaria ad neceſsitatem rei ſatis dictum eſt, nunc vti res poſtulat ad Pannonias tranſeamus.

Pannonia prima ſeu Superior, hodiè Auſtria, Regio non inamæna, quia fertilis in vino et frumento, fontium inſuper, piſciũ, ac lignorũ copia nobilitata. Item pars eius Stiria ferri diues, atq; etiam argenti fodinis non penitùs orbata, ab occaſu limites habet montẽ Cæcium, qui medius eſt inter Noricũ et ipſam Pannoniã. Ab ortu autẽ habet Pannoniã Inferiorem, cui iuncta eſt, à Septentrione Danubio terminatur, et à Meridie Illyri vſq; ad Bebios montes. Vrbiũ, quas habet, hodiè cultiſsima & ornatiſsima eſt Vienna, Ptolomæo Iuliobona, quam Sabellicus vult dictam Flauianum, Auſtriæ Metropolis atq; Imperialis ſedes, quæ à Solymanno acriter obſeſſa fuit anno 1529. qui tamen Dei auxilio et Chriſtianorũ præclara & memoratu digna victoria profligatus eſt.

Pannonia ſecunda, quam Ptolomæus lib. 2. Inferiorem vocat, à Septentrione Danubiũ habet et Germaniam, ab occaſu Pannoniam Superiorẽ, à Meridie Illyrim, et ab ortu Iazigas Metanaſtas. Oppidorum memoratiſsimũ eſt, quod accolæ Budam vocant, haud dubiè vetus & ſtatiuorum Romanæ militiæ aliquando, ac Regum Vngariæ ſedes: quo nomine ante appellata ſit, haud facilè eſt conijcere, nunc Offen vocant, ſub Turcarum dominio. Ager regionis, quatenus colitur, tritico et vino fertilis, nec minus auro & argento diues. Homines feroces, & bello exercitati, equeſtri tamen prælio, magis quàm pedeſtri, idonei. Cataphracto equite in bello vtuntur, & leui armatura. Nulla gens, quæ Chriſto nomen dederit, Turcarum arma magis exercuit, nec vlla ab his rurſus magis exercitata eſt, tàm æquo Marte: tàm vario euentu eſt ſemper vtrinque bellatum.

Illyris, quæ eadem Liburnia à pleriſq; indifferenter vocitatur, Epyro contermina, & propinqua Italiæ, ab Illyrio (vt Apianus inquit) Poliphemi filio, ſiue (vt Euſtathio placet) Cadmi filio denominata, cuius Gens literarũ monumentis mirũ in modum celebrata, neq; etiam obſcura armorum gloria, quippe quæ & Romanis negotium fecerit bellis Punicis, quùm Tenta Regina in illis locis rerũ potiretur, terminatur à Septentrionali plaga vtraq; Pannonia, ab occaſu Iſtria, ab ortu Dalmatia, à meridie verò mari Hadriatico, q; Golphus Venetiæ appellatur.

Dalmatia verò, quam ſeorſum verſus meridiem & ortum deſcribendam cenſet Glareanus præceptor meus quondam obſeruandiſsimus, à Delminio, quem Scipio Naſica Conſ. deuicit, denominata, nunc Sclauonia dicitur, in qua aurum inuentum eſt principatum Neronis, tanta quidem copia, vt quinquagenas quotidiè libras effunderet: regio eſt fertilis

fertilis & populoſa, hodieq́ præclaris oppidis habitata, quanquam florentiſsimam quondã et innumeris ciuitatibus cultam Auguſtus Cæſar graui bello illato fregit, vaſtauitq́ multis oppidis dirutis. Dein Gotthi per Pannonias ingreſsi haud minore clade affecêre. Poſtremò et à Turcarum acerrimis incurſionibus vexata, afflictaq́ eſt: terminatur à Septentrione Sauo fluuio, ab occaſu Illyri ſeu Liburnia, à meridie mari Hadriatico, & ab ortu Myſia Superiore. Tota hæc natio hodiè Germanis Wendenland vocatur. Oppida notiora ac celebriora in Illyri ſeu Liburnia ſunt Iadera vulgò Zara, et Stridona, D. Hieronymi natiuitate clariſsima, & licet interierit, tamen ob tanti viri memoriam etiam vaſtatum, deleri atque interire nequit. In Dalmatia verò Sibinicum, et Epidaurus vulgò Raguſia. Inſulæ autem adiacent Liburniæ Apſorrus, Curicta, et Scardona, hodiè Malconſeglio. Dalmatiæ verò Iſſa, Tragurium, Pharia, Corcyra nigra, & Meligene, quam nos Meliten vocamus, vnde Melitæos catulos vocari, ait Callimachus, annotante etiam Plinio libro 3. cap. 26. Quamuis Strabo grauis quidem autor, nonnulliq́ alij à Melita vulgò Malta inſula minoris Africæ appellari exiſtimarunt.

CAPVT SEPTIMVM.

De Italia, Corſica, Sardinia & Sicilia.

ITALIA omnium regionum celeberrima, ab occidente Alpium iugis terminatur, ad Varũ vſq́ flumen, & Tyrrheno pelago, quod etiam mare Tuſcum & Inferum dicitur, à Septentrionali plaga alteris Alpium iugis, quæ Rhetiæ, atq́ alijs ſequentibus nationibus imminent, ab oriente Hadriatico mari, quod nunc Venetũ vocant, olim à Romanis Superũ vocabatur, deniq́ à meridie mari Siculo. Hæc priùs Heſperia ab Heſpero Atlantis fratre, qui à fratre pulſus, & Hiſpaniæ, & Italiæ dedit nomen, ſiue (vt Macrobius inquit) ab Heſpero Stella, quòd illius occaſui eſt ſubiecta, nomen ſortita eſt. Inde Oenotria, vel à bonitate vini, quod in Italia naſcitur (nam Græci οἶνον *vinum dicunt) vel ab Oenotrio Lycaonis filio & Sabinorum Rege, qui ex Arcadia in Italiam venit, eſt appellata. A Saturno, vt ait Trogus, Saturnia, ab Italo tandem Siculorum Rege, qui agriculturam Italos docuit, & leges poſuit, Italia. Nam ad eam partem venit, in qua poſtea Turnus regnauit, & à ſuo nomine appellauit, vt Vergilius libro 3. Æneidos probat dicens.*

Eſt locus, Heſperiam Graij cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis, atque vbere glebæ:

Oenotrij

Oenotrij coluere viri: nunc fama, minores
Italiam dixiſſe, ducis de nomine gentem.

Aulus Gellius verò libro 11. ex Tymæo, & M. Varrone, à Græco vocabulo ἰταλοῖ quod boues ſignificat (quorum ibi copia fuit) dictam eſſe affirmat. Latium vbi Tyberina oſtia dicta, Auſonia deniq; , teſte Ariſtotele Philoſophorū patre, vbi Thyrrhenum aſpicit, cognominata. Eſtq; in forma cruris inter Hadriaticū & Tuſcum mare, & à iugis Alpiū, dorſoq; Apennini porrecta, ſe paulatim attollens vſq; ad Rhegynū verticem, & littora Brutiorum extenditur. In vltimo ſui ſcinditur in duo cornua, quorum alterum Ionium ſpectat mare, alterum Siculum, in extremitate Rhegyum oppidum habens. Eius longitudo ab Auguſta prætoria, quæ in Alpino fine ſita eſt, et per Romam Capuamq; porrigitur, vſque in oppidum Rhegyum, Solino teſte, decies centena & viginti millia paſſuum colligitur. Latitudo verò vbi plurimum, quadringenta decem; vbi minimum, centū triginta ſex millia. Arctiſſima eſt ad portum, quem Hannibalis caſtra dicunt. Neq; enim excedit quadraginta millia: vmbilicum, vt M. Varro tradit, in agro Rheatino habet. At in ſolidum ſpatium circuitus vniuerſi vicies quadragies nouies centena ſunt. Eſt autem Regio nulli ſoli poſthabenda, quia eſt metallis grauida, & vbiq; vitalis & perennis ſalubritas, eximia cœli temperies, campi fertiles, aprici colles, innoxij ſaltus, opaca nemora, munifica ſyluarum genera, mira frugum vitium & olearum fertilitas, nobilia pecori vellera, optima tauris colla, perſpicui & piſcoſi lacus, flumina fonteſq; ſaluberrimi, portus plurimi, ipſa auidè ad mortales iuuandos in maria procurrens, vt verè dicta ſit à quibuſdam terrarū omnium alumna atq; eadem parens, cœleſtium prouidentia electa, quæ ſparſa congregaret imperia, molliretq; efferatarum gentium ritus, diſcordes ad colloquia linguas munere literarum latinoq; ſermone congregaret. Veterum memoria mille centum & nonaginta ſeptem vrbibus Italiam præditam atq; ornatam fuiſſe tradit Ælianus libro 4. ex quibus 264. eſſe Epiſcopales ait Blondus. Celebriores autem in ea ſunt, Roma olim terrarum caput et domina, atque ſedes Sum: Pontificum. Mediolanum quod licet magnitudine & potentia celebre ſit, longè tamen celeberrimum facit D. Ambroſij memoria, qui ibidem in Epiſcopum electus eſt anno domini circiter 380. Valentiniano Cæſare adhortante. Ticinum vulgo Pauia vbi Rex Chriſtianiſſimus poſt ſtrenuum conflictum, à Cæſarianis captus eſt anno 1525. Venetiæ emporium vulgatiſſimum, cultu, legibus, inſtitutis, ciuilitate, potentia, non vrbibus modò liberæ conditionis multis, ſed & regnis aliquot præferen-

præferenda, quandoquidem regna poſsidet ipſa & moderatur. Canuſium, vbi Romani ab Hannibale deleti. Neapolis, priùs Parthenope, vbi ſcripſit Vergilius optimus poëtarum Georgicorum libros. Sulmo patria Ouidij poëtæ ingenioſiſsimi, & Caieta media inter fortiſsimas Italiæ ciuitates, nomen habens à nutrice Æneæ ibidem ſepulta, vt Ouidius libro 14. τῶν μεταμορφώσεων, *& Vergilius in 7. Æneidos teſtantur. Per mediam autem Italiam mons Apenninus tendit non ſecus ac ſpina per tergum hominis, hinc omnes alij oriuntur, quorum eſt Garganus in Apulia D. Michaëlis miraculo celeberrimus. Veſuuius mons igniuomus Campaniæ, eiuſdem eſt & Phalernus mons vini fertilitate clariſsimus & amœniſsimus. Fluuiorum Italiæ licet infinitus ſit numerus, celebriores tamen ſunt Padus ſiue Eridanus maximus totius Italiæ, qui triginta fluminibus auctus, ex Alpibus per ſeptem oſtia in ſinum Hadriaticum egreditur, in quem Phaëtonta cecidiſſe fabulantur. Cremera apud quem 306. Fabij pugnantes à Veientibus occiſi ſunt. Tyberis ex Apennino per Romam in mare Thyrrenum defluens, & Arnus inſignis copia & bonitate piſcium, per Florentiam in Thyrrenum quoque decurrens. Cæterùm Italis color & ſtatura penè diuerſa eſt, in Ciſalpina Gallia, Venetoq; receſſu, color vulgo candidus, cultus & ſermo accuratior. Contra in Hetruriæ tractu, Latio, Campania, Lucania, & Brutijs, capillus niger, breuior ſtatura & macilenta, ſermo & cultus ſimplex. Omnia ſimilia in Piceno, & his qui Superi maris oram accolunt in magnam Græciam vſque, niſi quòd in Apulis, Calabris, & ijs, qui extremam tenent Italiam, victus & ſermo cum Græcis promiſcuus durat. Italiam circa adiacent inſulæ in Liguſtico quidem pelago Gorgona, Æthala, Capraria, quam Græci* αἰγύλαν *dicunt, & ferri atq; chalybis ferax Vilba vulgo Elba, in qua ciuitas munitiſsima Coſmopolis, quam ſuperioribus annis Coſmus Medices Florentinorum Dux magnanimus condidit. In Tyrrheno autẽ pelago Planaſia æqualis freto ideoq; nauigijs fallax, Pontia, Pandataria, Parthenope, Prochyta, Pithecuſa hodie Iſchya, Caprea, & Syrenuſæ. In Ionio verò mari ſunt, quæ Diomedeæ dicuntur, vulgo Tremiti.*

Corſica, quæ & Cyrnus dicitur, ad quam olim non concedebatur nauigantibus acceſſus propter continuas prædationes & pyratarum latrocinia, inſula eſt in mari Liguſtico. Dicta autem Cyrnus (vt Fabio Pictori placet) à Cyrno Herculis filio & Rege huius inſulæ, & Corſica à Corſica muliere, cuius taurus, quùm ex continenti in inſulam tranaſſet, nomen quod habebat retulit, cùm anteà Teranne nominaretur à Theranneis populis Theſſaliæ ibidem habitantibus. Eſt longa

paſſuum centum quinquaginta millia, lata maiore ex parte quinquaginta, circuitu trecentorum viginti duorum millium, diſtans à vadis Volaterranis ſexaginta duobus millibus paſſuum. Vniuerſa fermè montibus tollitur, ideò multis in locis inacceſſibilis. Eſt tamen vinetis cultiſſima, nec ignotum Italiæ Germaniæq; vinum eius, quod vulgò Curſicum vocant. In ea ſunt Caſtella Bleſini, Carax, Emicone, & Vapones. Hanc Romanis Mauri abſtulêre, quam poſtea Ademarcus in claſſe Genuenſi imperator recepit.

Sardinia inſula eſt in Tyrrheno ſeu Liguſtico mari, à Sardo Herculis filio (ſicut Strabo & Solinus ſcribunt) qui è Libya veniens, cum multitudine Colonorum, inſulam occupauit, quùm antea Sandaliotis appellaretur, ab effigie ſoleæ, quam Græci Sandalion vocant, & Ichnuſa, à ſimilitudine veſtigij, quod Græcè dicitur ἴχνος. *Huius latitudo eſt millium paſſuum nonaginta octo, longitudo ducentorum viginti, quanquam alij ſtadia multa adijciant. Mirum, in ea inſula neque lupum gigni, neq; ſerpentem reperiri, ſed Solifugam tantùm animal exiguum, hominibus pernicioſum. Creditum etiam eſt in ea herbam naſci, qua qui veſcitur, ridendo pereat, vt inde Adagio locus factus ſit, Sardonicus riſus, de quo in Chiliadibus Paræmiographus Eraſmus. Habet & fontes calidos infirmis medelam præbentes, furibus verò cæcitatem, ſi ſacramento dato, oculos aquæ eius tetigerint. Habet ciuitates multas, ſed omnium præclariſſima Calaris eſt, vbi coraliorum piſcatio eſt. In qua Diui Auguſtini oſſa tandiu conquieuêre, quoad ab Heliprando Rege Papiam tranſlata ſunt. Hæc ciuitas Iole à priſcis appellabatur, ab Iole illa, quam Hercules perditiſſimè amauit. Inſulam Pœni occupauêre, ſed à Romanis expulſi tandem primo bello Punico amisêre. Cæterùm Siciliæ regno ab Hiſpanis recepto, haud ægrè in ditionem horum & Sardinia conceſſit, hodieq; paret Philippo Regi Hiſpaniarum Catholico ac potentiſſimo. Inſulæ circa Sardiniam ſunt Phinton, Ilua, Nymphæa, Herculis, Diabate, Hieracum, Plumbea, Ficaria, & Hermæa.*

Sicilia Italiæ inſula, à Siculo Neptuni filio dicta; vel Sicilia, quaſi Sicilita, hoc eſt, execta. Nam olim agro Brutio annexa, mox interfuſo mari Siculo auulſa. Ob hoc Græci Rhegyo nomen dedêre, quaſi auulſo, vnde Vergilius libro 3.

Hæc loca vi quondam, & vaſta conuulſa ruina,
(Tantum æui longinqua valet mutare vetuſtas)
Diſsiluiſſe ferunt: quùm protinus vtraque tellus
Vna foret.

Eam

Eam Græci Siceliam dixerunt. Olim Trinacria appellata eſt, quòd tria acra, hoc eſt, tria cacumina habeat. Nam tribus promontorijs in diuerſa procurrit. Vel Triquetra, quod triangularem figuram habeat huiuſmodi △ Triquetram enim figuram triangularem dixerunt. Quorum vnus angulus, qui in Meridiem vergit, à craßitudine aëris, Pachynus dicitur, vulgò Capo Paſſaro. Alter, qui ad Septentrionem ſpectat, & ab Italia mille quingentis paßibus diſtat, Pelorus, nunc la torre del Farro. Tertius, qui Carthaginem maximè ſpectare videtur, & ab Africæ littoribus 120. millibus paſſuum diſtare prodiderunt, Lilybœus, nunc Capo Bœo, à quo quidam Siculus Strabo nomine, naues è Carthaginenſium portu ſoluentes videre ac numerare poterat, neque vllam prætermitteret, tradunt authores. Porrò hæc ab Oriente, & Occidente, Septentrioneq́ Tyrrheno mari, à Meridie Africo alluitur. Patet in longitudine à Peloro vſque ad Pachynum, millia paſſuum centum octoginta ſeptem, in latitudine centum octoginta nouem. Sicania præterea Thucydidi dicta eſt, à Sicanis Hiſpaniæ populis, qui duce Sicano primùm in Italiam veniſſe feruntur. Hæc à principio, vt Iuſtinus ſcribit, Cyclopum patria fuit, quibus extinctis, Æolus regnum inſulæ occupauit, vnde Vergilius lib. 3.

Ignariq; viæ Cyclopum allabimur oris. *Et illud*
Exulat, Ætnæos vidit Cyclopas Vlyſſes.

De hac Diodorus ſic ſcribit, Sicilia optima inſularum omnium, antiquitate rerum cæteras antecellit. Nec enim alia eſt, quod quidem ſciam, toto orbe inſula, quam ex æquo Græci & Latini ſcriptores partim nobilitate inſulæ, partim autem occaſione rerum geſtarum celebriorem reddiderint. Vnde etiam M. Cato ſapiens, cellam penariam reipublicæ nutricemq́ plebis Romanæ, eam nominauit. Sed celebritate & vbertate eius factum eſt, vt quemadmodum vetuſtis gentibus populisq́ ita haud multis retrò ſæculis, noſtris quoque magnarum diſſenſionum ſeminarium fuerit. Tenuêre enim eam multis annis & iuſtißimis cauſis, Sueuorum Duces, & malum ſibi, vt Cæcias (quod dicitur) nubes attrexerunt, motis videlicet bellis, quibus magnæ ſeſe partes miſcuerant, nec ceſſatum aut armis aut odijs fuit, donec ne nomen quidem reliquum eſſet Sueuici ſanguinis. Sanè & ab Anglis & Lotharingijs petita inuiſaq́ eſt, illo maximè tempore, quo in Syriam & Saracenos expeditiones ſumebantur. Poſtremò in Regum Arragonum Hiſpaniæ manus peruenit, hodieq́ auſpicijs Philippi Regis Catholici obſequitur, cuius itidem ditionis & Regnum Neapolitanum & Brutius ager, & Calaber eſt. In ea ſunt Panormus, Catha-

nia, in quam cùm incendia Ætnæ ſe protuliſſent, iuuenes duo ſublatos humeris parentes euexerunt inter flammas illæſi ignibus. Syracuſæ, vndecima Olympiade conditæ, Theocrito vetuſtiſſimo Poëta inſignes. Præterea Meſſana, & Leontium, Gorgiæ Rhetoris patria. Ibi etiam Arethuſa fons, in quo viſuntur iacta in Alphæum amnem Elidis, & Ætna mons incendio quondam memorabilis. Cuius fundus eſt de lapide toto nigro & poroſo, quo in balneis vtimur, vulgò Mongibello. Obiacent inſulæ iuxta Siciliam, quæ Æoliæ, ſiue Vulcaniæ Græcis ἡφαιστίαι *dictæ, Didyme, Nicoſia, Ericuſa, nunc Alicudi ſeu Alicur. Phœnicodes, nunc Felicudi ſeu Felicur perpetuo igne ardens. Vulcanus inſula igniuoma. Lipara, cui nomen dedit Rex Liparus, qui eam poſt Æolum ventorum regem rexit, cùm antea Milogonis vocaretur, in ea quoque fuiſſe fertur officinam Vulcani & Cyclopum. Euonimos, nunc Vulcanelo. Strongyte perpetuis atque liquidioribus flammis notiſſima, ex cuius fumo, quinam flaturi ſint venti, in triduum prædicere incolæ traduntur. Vſtica, Oſteodes, nunc li Porcelli. Phorbantia, nunc Leuanzo. Æguſa, nunc Fauagliana. Hiera Theraſia priùs, nunc Maretamo plurimùm colle eminentiſſimo, olim Vulcano ſacra. Pacouia, & Æoli inſulæ.*

CAPVT OCTAVVM.

De Sarmatia Europæ, Taurica Cherſoneſo, Iazigibus Metanaſtis, Dacia, duabus Myſijs, & Thracia.

SARMATIA Europæ, vt ait Ptolomæus lib. 3. à Septentrione oceano Sarmatico terminatur, ab occaſu Viſtula fluuio & Germania, à Meridie Jazigibus Metanaſtis, Dacia ac Myſia inferiore, ab ortu Sarmatia Aſiatica, fluuio Tanai, Mæorideq; palude. Eſt regio vaſta & plana frumenti ferax & piſcibus abundans. Eſt nemoroſa & paſcuis idonea, quibus armenta ciſatis paſcuntur, atq; venatione diues. Habet enim equos ſylueſtres cicuratis quidem ſimiles, ſed molle habentes dorſum, & ob id oneri ferendo inepti, nec cicurari poſſunt, quorum caro equidem ab incolis comeditur. Habet & boues feros ſeu biſontes, quos Romani vros vocant, & vulgus bubalos, alces etiam ceruis haud diformes, niſi quòd habent protenſam carneam promuſcidem & paulò ſublimiora crura, quos vulgò helendos vocant. Habet & raræ magnitudinis vrſos, aliaq; id genus animalia, quorum alicubi Cæſar, Plinius, & Solinus meminère.

nêre. Habet inſuper & mellis copiam tàm ingentem, vt non ſatis loci ſuperſit, quibus illa recondant. Arbores namq; omnes & ſyluæ nigricant aluearibus. Habet & ſalis maximam copiam, quod maximum toti regioni præſtat emolumentum. Nam ſub terra exciduntur ingentia ſalis ſaxa, & ſupra terram aliud ſal ex aqua decoquitur. Verùm ex omnibus metallis plumbum duntaxat fodiunt incolæ. Eſt autem genus in vniuerſum prudens, multaq; comitate in hoſpites, ſed bibaciſſimum genus hominum totius Septentrionis, quamuis rarus vini vſus, ignotusq; genti omnis vinearũ cultus. Factitia tamen ex tritico alijsq; generibus ſeminũ potio in vſu eſt. Metropolis totius regionis eſt Cracouia in Germanico ſolo ſita, ad fluuium Viſtulam, quã aiunt denominatam & conſtructã anno quinquageſimo poſt Chriſtum natũ à Craco primo regionis Duce, cum arce elegantiſſima, quam inclytus Rex Sigiſmundus proximis annis magnificis ſtructuris inſtaurauit. Eſt in hac regione Boryſthenes ſatis celebre flumen. Hodiè diuiſa eſt regio in Poloniam, Rußiam, Prußiam, Lituaniam, Liuoniam, Podoliam, & Moſcouiam. Vtuntur autem omnes ferè Sclauonica lingua. Sed Sacrorum ritus, partim Romanus, partim Græcus.

Taurica Cherſoneſus ſeu peninſula, prouincia eſt Europæ, vt docet Ptolomæus lib. 3. cuius fines ſunt Iſthmus, Palus Mæotis Pontis, & Cimmerius Boſphorus. Ibi ciuitates ſitæ ſunt, Eupatoria & Theodoſia, nunc Capha, aliquando ſub Genuenſibus. Eius ambitus ſeptuaginta millia paſſuũ complectitur, & à Mæotidis populis, qui margines ipſius habitant, nomen aſſumpſit. Hodiè minor Tartaria dicta. Nam Præcopitæ Tartari ei dominantur, Turcis ſimiles, ait Paulus Iouius.

Iaziges Metanaſtæ, ſicut Ptolomæus ſcribit lib. 3. ab oriente habent Daciam, ab occaſu & auſtro Germaniæ partem & Pannoniam inferiorem, à Septentrione Sarmatiam Europæ. Hodiè Septem Caſtra dicuntur, vulgò Sibenbürg, à ſeptem caſtellis ibidem ſitis, quorum incolæ, olim ex Saxonia per Carolum Magnum in eum locum fuerunt deſtinati, ideò in hunc vſque diem in medio Sclauonicæ & Vngaricæ linguæ loquuntur Germanicè, ſicut Bohemi inter Germanos loquuntur Sclauonicè.

Dacia, quam quidam Thraciæ partem, quidam conterminam dicunt, Alij prouinciam citra & vltra Iſtrum eſſe autumant, à Septentrione parte Sarmatiæ, à Meridie Danubio & Myſia ſuperiore terminatur, ab ortu Myſia inferiore & Danubio, & ab occaſu Iazigibus Metanaſtis. Hanc nonnulli Dalachiam magnam eſſe voluerunt, cuius populi Daci & Dacæ dicuntur, qui olim, Strabone teſte,

Daui appellati ſunt. Ex quo apud Athenienſes Dauorum nomina ſeruilia, plurimum abundabant. Hinc factum eſt, vt in Comœdijs ſerui introducantur Daui nominati, qui alio nomine Getæ dicti ſunt. Habet regio ſolum ſatis fœcundum, iuxta oppidum Meduuiſch creſcit vinum in magna copia, vnde & ager ille vocatur Weinlandt/ *id eſt, vinifera regio. Iuxta oppidum Clauſenburg & SaltZburg, atq; in Ceculia foditur ſal. Haud procul ab oppidis Schlotten & Altenburg effoditur aurum, ſicut prope oppidum Yſenberg ferrum. Alluunt regionem multi amnes, ſed præcipui ſunt Rhabon & Altus, quem Ptolomæus vocat Allutam, vterq; nauigabilis. Dacia hodiè diuiſa eſt in Tranſyluaniam, Zypſerland, & Bulgariam.*

Myſia ſuperior, quæ Boſna, Raſcia, & Seruia dicitur, vbi etiam eſt Dardania, à Septentrione habet Daciam, ab Occidente Dalmatiam, ab Oriente Thraciam, & à Meridie Macedoniam. Eſt regio eximiè fertilis, ac ſatis ſuperq; opulentiſſima, quòd patrum noſtrorum memoria regibus paruit, nec amiſit nomen, hodieq; Boſniæ regnum vocatur. Oppida autem in ea licet permulta ſint, vnum tamen nomine potiùs, quàm magnitudine celebrius, memoratur nempe Taurunum ſeu Belgradum dictum, quod Vngari ſemel mirabili opera Ioannis Capiſtrani Franciſcani ſeruatum ferunt. Quod tamen anno Domini 1521. ingentibus copijs terra atque vndis obſeſſum Selinus Turcarum Imperator expugnauit.

Myſia inferior, quæ à Romano duce Flacco, qui eam expugnauit, primùm Flaccia appellata eſt, deinde ſucceſſu temporis Flaccia degenerauit in Falachiam, quam vocem Germani mutauerunt in Walachiam: terminatur ab occaſu Dacia, à Septentrione Sarmatia Europæa, à Meridie Thracia & Æmo monte, ab Oriente verò Ponto Euxino, vbi Danubius ſex oſtijs ſe exonerat. Licet autem regio ipſa cœlum non admodùm clemens habeat, ac nulla ſit ibi frugum fertilitas, accolentibus tamen plurimus ex piſcatione eſt quæſtus. Captos etenim magno numero euiſcerant, & ſalitos dolijs prægrandibus indunt, Pannonijsq; ac Sarmatis ea inuehentes. Adiacent autem Myſiæ inferiori iuxta Pontum inſulæ duæ, quarum vna Boryſthenis, altera verò Achillis inſula nuncupatur.

Thracia hodiè Romania dicta, inter partes Scythiæ poſita, Macedoniam ſequens, à Septentrione Iſtrum habet, ab Oriente Pontum, à Meridie Ægæum mare. Olim Scyton, poſtea Thracia, à Thrace Martis filio, ſeu ab aſperitate dicta, Græcè enim τραχὺ *aſperum dicitur. Eſt enim regio (vt Pomponius ſcribit) nec cœlo, nec ſolo tractabilis,*

& (niſi

& (niſi quà mari propior eſt) infœcunda, frigidaq́. Habet feros homines, aſpero cultu. In ea ſunt vrbes celebriores Apollonia, Ænos, Nicopolis, Bizantium, quæ poſtea à Conſtantino Conſtantinopolis dicta eſt, & facta Imperij ſedes, totiusq́ Orientis caput, nunc autē Turci nephandiſsimi aſylum, Perinthos, ac Lyſimachia. Amnes verò inſigniores ſunt Hebrus, & Neſtos, Montes Æmus, Cathena mundi dictus, & Rhodope, Sabellico Valiza. Adhæret Thraciæ pars, quæ propriè Cherſoneſus dicitur, in qua eſt vrbs Galipolis, & Seſtus patria Herus puellæ, quam adamauit Leander, de qua Muſæus,

Littore multiuago, prope claræ mœnia Seſti.

Hodiè ibi & ex altera parte Helleſponti, vbi olim Abydus fuit, arces ſunt à Turcis Bogaz, Aſar dictæ: ea enim voce appellant ipſi oppida & caſtella in maris faucibus ſita. Inſulæ adiacent Thraciæ, ſub Boſphoro quidem, quæ occidentalior eſt Cyaneorum, quæ Symplegades Plinio vocantur. In Propontide autem Præconneſus. In Ægæo verò mari, Thalaſsia, olim Acria, Imbros, & Samos, quæ ab initio Leucania vocata eſt, eo quòd alberet. Deinde Thracibus in ea cōſidentibus, Thracia. Qui cùm ſeptingentis annis pòſt eam reliquiſſent, Samij è ſua regione extorres eam occupauerunt, & Samothraciam vocauerunt. Abundat autem luto fictilibus conficiendis aptiſsimo.

CAPVT NONVM.

De Macedonia, Epyro, Achaia, Euboia, Peloponneſo, & Creta inſula.

MACEDONIA *inter duo ingentia maria, Ægæum ab oriente, Ionium ab occaſu, in Septentrionem ad Dalmatiam ſuperioremq́ Myſiam extenditur, ad Meridiem Epyro clauditur. Præterea duobus cornibus in Orientem excurrit, in quorum altero Athos mons ingentia iuga in Septentrionem attollit: Alterum cornu Meridionale Pellenem & Caſſandriam vrbes oculis offert. Chreſtomathiæ Author, quiſquis ille fuit, vir planè doctus & diligens, Macedoniam ad Drilonem fluuium, Plinius ad Strimonem vſque procurrere tradit, hunc Orientis; Occidentis illum ab authoribus celebratum amnem. Meridionale latus Theſſalia terminabit. Plinius cum ſuperioribus congruit, qui Macedoniam ad Epyroticas gentes recedere; Septentrionalem verò partem ad Pœoniam Pelagoniamq́ longè lateq́ exporrigi ſcribit. Macedoniam*

Stepha-

Stephanus dictam eſſe ſcribit à Macedone Oſiridis Iouis & Thyæ filio. Olim à rege Ematho, Emathia vocabatur. Plinius libro 4. hanc ſummis laudibus extollit, olim ſcilicet centum & quinquaginta populis nobilem. In qua vna die ſeptuaginta duas vrbes Paulum Æmylium diripuiſſe, atque vendidiſſe, inter alia tradit Polybius grauis & diligens hiſtoricus. Amurates autem, quem Mahometi primi filium fuiſſe nonnulli prodidère, Macedoniam liberam regionem, ſuo more ſuisq; legibus viuentem, Græciæ, Aſiæ, atque ferè Indiæ quondam dominam, ſuo imperio ad Pœoniam vſque ſubiecit. Quemadmodum & reliquam totam Græciam ſequentes Turcici imperatores, aucta poteſtate & immenſa dominandi libidine, occupârunt, non ſine pudendo Chriſtiani nominis dedecore. Montibus hæc regio maximis circumuallata eſt, ex quibus flumina & fama & natura ingentia oriuntur. Quorum omnium pulcherrimus eſt Axius, qui ex Scardo monte profuſus, longiſsimo curſu, non longè à Pella vrbe, Alexandri illius Magni patria, in Thermaicum ſinum deuoluitur. Vrbibus præterea multis atq; inſignibus ornata, quarũ omnium clariſsima fuit Theſſalonica, Thalia Volaterano vocata, & Dyrrachium Epidamnos aliquando dicta. Quam anno Domini 1499. Baiazetes Turcarum imperator, Venetæ reipublicæ iure belli abſtulit. Inſulæ autem adiacent Macedoniæ in Ionio mari, Saſo. In Ægæo verò pelago Lemnos, in qua nutritus eſt Vulcanus, cuius etiam fœminæ vna nocte facta conſpiratione omnes maritos à bello reuerſos occiderunt, Scyatos, Peparethos, Scopelos, & Scyros.

Epyrus à Ceraunijs incipit montibus, vt in 4. memorat Plinius. Ab oriente Ambracium ſinum & Acherontem fluuium: ab occaſu Theſprotas, à ſeptentrione Caſsiopæos, à meridie Ionium pelagus attingit. Sunt autem Ceraunij montes omnium excelſiſsimi, ita ab aſsiduo fulminũ impetu nuncupati. Solent enim ſumma petere dextra, fulmina miſſa, Iouis. Quoniam autem ingenti capite in Ionium mare prominent, Acroceraunia dicere conſueuerunt authores, quòd ἄκρα promontorium ſignificet Græcis. Theopompus Epyro XIIII. gentes attribuit, quarum clariſsimi fuêre Chaones atq; Moloſsi, quòd ſcilicet ab his Epyrus initium ac nomen accipiat. Ex tot vrbibus Epyri, vnam ab authoribus ſingulari ſtudio celebratam, inuenio, Dodonam ſcilicet. Euſtathius docet in Dodone Dodonæi Iouis quercum fuiſſe, quæ ſciſcitantibus futura reſponderit, quam Sophocles πολύγλωσσαν, hoc eſt, loquaculam appellauit. Quemadmodum & Dodonæum æs: de quo plurima Parœmiographus Eraſmus, ex veterum mõnimentis diligentiſsimè collegit.

collegit. Epyro adiacent inſulæ, Corcyra quæ hodiè Corphu dicitur, ſub Venetis. Olim Pheacum ſedes, ad quos Vlyſſes naufragium paſſus, appulit. Cephalenia, Ericuſa, Scopulus, Echinades, Ithaca, Lotoa, & Zacynthus hodiè Zantus.

Achaia, quæ præfatis coniungitur regionibus vſque ad Iſthmum Peloponneſi, quam item Hellada appellant, ab Hellene rege, filio Deucalionis, regis Theſſaliæ, limites habet ab occaſu Epyrum, à Septentrione Macedoniam, ab ortu mare Ægæum, à Meridie Hadriaticum & Creticum pelagus. In hac fuerunt Athenæ, ciuitas quondam totius Græciæ clariſſima, à Cecrope rege condita, cui Minerua nomen impoſuit, quam Græci Athenam vocant. Fuit autem hæc vrbs omnium bonarum artium inuentrix, Philoſophorum & Oratorum mater, & Poëtarum alumna. Inde orta ſunt infinita propè commoda ad vſum vitæ humanæ. Nam primi omnium Athenienſes, lanificij, olei, vini, & agriculturæ vſum docuêre. Æneas Syluius Athenas hodiè parui oppiduli ſpeciem gerere dicit, cuius munitiſsimam adhuc arcem, patrum noſtrorũ memoria, Florentinus quidam ex Aciaiolum familia, quùm ſæpè multumq́ Latinorum auxilia implorasſet nec impetraret, Mahometi Turcarum imperatori pacto interueniente contradidit.

Achaiæ Eubæa ingens adiacet inſula, ab Aſopi filia denominata, deinde Macris à Macride Iunonis nutrice, hodiè Nigropontus, quæ inuiſa captaq́ à Turcis eſt, imperante Friderico tertio, anno à nato Chriſto 1470. vrbium eius clariſſimæ ſunt Chalcis iuxta Euripum ex morte Ariſtotelis nota, & Caryſtus marmore nobilitata. Iuxta autem Atticam & ſub Eubæa inſulæ hæ ſunt, quæ ab ſitu (quia in orbem collatæ (nomẽ traxêre Cyclades, Thera, Cia, Irochy, Polyægos, Gyaros, ad quam relegabantur noxij, cuius etiam incolæ à muribus ſunt fugati, Theraſia, Delos à mercatu & templo Apollinis celebrata, omniumq́ Cycladum longè nobiliſsima, vbi primùm ignem repertum eſſe author eſt Plinius, Olyarus, Seryphus, vbi mittebantur nocentes, Phelocunder, Sicinus, Cythnus, Rhena, Myconus, Andros, Tenos, quæ propter aquæ copiam Hydruſa ab Ariſtotele dicta fuit, Scyrus, Naxus, in qua aquæ, vt ait Propertius libro 3. vini ſaporem referunt, Syphnus, & Parus, in qua lapis candidiſsimus naſcitur, qui dicitur Parius. Supradictæ autem inſulæ in mari natare ſolitæ erant: quas Apollo colligauit & ſtabiles fecit.

Peloponneſus (vt inquit Plinius) peninſula eſt, haud vlli terrarum nobilitate poſtferenda, quam Strabo ἀκρόπολιν, *hoc eſt, totius Græciæ arcem appellat. Hæc olim dicta fuit Ægialia, ab Ægialeo Inachi*

Argiuorum fluminis, & Meliæ Oceanitidis filio. Deinde Apia, ab Apide Phoronei, vel, vt Pauſanias refert, ab Api Telchinis filio, cuius opes atque potentia adeò tum creuêre, vt à nomine ſuo Ægialeam Apiam cognominârit. Quanquam Athæneus libro 14. à pirorum prouentu, Apiam vocatam aſſerat. In qua etiam ſententia Stephanum fuiſſe video. Theocriti interpres, ni fallor, in diuerſa fuit opinione, qui ἀπίους, *hoc eſt pira, à Peloponneſo nomen accepiſſe putat, quòd in ea primùm inſula hic fructus apparuerit. Cum autem ex Phrygia Pelops Tantali filius in hæc loca veniſset, rerumq; in Apia potiretur, à ſe Peloponneſum, veluti* πέλοπος νῆσον *nominauit. Strabo ex Ephoro refert, hanc inſulam etiam Pelaſgiam nuncupari, quòd ante Danai aduentum Pelaſgi Peloponneſum tenuerint. Hodiè Morea dicitur. Peloponneſum ab Oriente reſpicit mare Creticum: ab occaſu Jonium, ſiue Hadriaticũ: à Septentrione, Corinthiacus ſinus, vnà cum Iſthmo: à Meridie mediterraneum pelagus, quod irruptione apud Gades in terras facta, Europam ab Africa longiſsimo curſu diſcriminat. Græci Latiniq; authores Peloponneſum platani folio ſimilem eſſe tradiderunt, quod hæc inſula multos anguloſos habeat receſſus, vt Plinius inquit. Quam rem Dionyſius Apher duobus propemodùm verſibus elegantiſsimè expreſsit.*

πέλοπος δ' ἐπὶ τῶν νῆσος ὄπισθεν,
εἰδομένη πλατάνου μειουρίζοντι πετήλῳ.

Quos ſic reddidit Rhemnius Fannius latinè.

——Sequitur Pelopis pòſt inſula lata.
Conſimilis folio platani, quod muris acutam
Æquiparat caudam.——

Præcipuæ ciuitates in Peloponneſo ſunt, Argos, vbi præcipuis honoribus colebatur Juno, Micenæ, Lacedæmon, Patræ, S. Andreæ martyrio nominata, & Corinthus, Romana Colonia, adeò quondam celebris, vt M. Cicero pro Pompeio totius eam Græciæ lumen appellauerit. Hanc Siſyphus latro, Æoli filius, fertur condidiſſe, & Corcyram primò nominaſſe: poſtea verò Ephyre, & ad extremum Corinthus à Corintho Marathonis, vt Pauſanias ait, filio vocata eſt. Stephanus in libro de vrbibus à Corintho conditore dictam aſſerit. quemadmodum & aliæ multæ vrbes conditorum nomina retinuerunt. Claruit etiam ære laudatiſsimo, quo vaſa fiebant admodùm precioſa, Adiacent Peloponneſo inſulæ Strophades, vbi Harpyæ morabantur, Plotæ prius dictæ. Prima, Sphragia, Thiganuſa, Cythera, Epla, Salamis & Ægina.

Creta

Creta inſula in medio ponto, centum vrbium fama clara, quæ (vt ſcribit Strabo) à Septentrione Ægæo alluitur ſimul & Cretico pelago, ab auſtro Afro, ad Occidentem Ægilam & Cytheram ſpectat, ad Orientem Carpathum. Habet in longitudine ducenta ſeptuaginta millia paſſuum, in latitudine quinquaginta millia. Circuitus eius quingenta octoginta nouem millia paſſuum complectitur. Inſignes in ea vrbes ſunt Cortina, Cydonia, Gnoſſos & Minois regia, & Strabonis Coſmographi prima. Nullum in Creta animal noxium eſt. Capris & paſcuis copioſa, fœcunda frugum vbertate, optimiq́ vini fertiliſſima. Ab hac traxit nomen illa tenax terra, qua fullones in abluendis maculis vti conſueuerunt. Creta ſcilicet, quia in hac reperitur omnium præſtantiſſima. In hac quoq́ inſula ferunt Cyclopas miniſtros Vulcani fabricam ferrariam primum reperiſſe. De hac Vergilius libro 3. ait:

Creta Iouis magni medio iacet inſula ponto,
Mons Idæus vbi, & gentis cunabula noſtræ
Centum vrbes habitant magnas vberrima regna.

Hæc ante, vt ait Crates, Aëria dicta fuit. Deinde Cureta ab habitatoribus Curetibus, & per ſyncopam Creta. Anaximander verò dictam à Crete Iouis & Idææ Nymphæ filio Curetum rege exiſtimat. Sed Doſiades à Crete Nympha Heſperidis filia. Præterea ob eximiam cœli clementiã Macaron, ſiue vt Solinus & Martianus vocant μακαρόνησος appellata. Hodiè Candia vocatur, & ſub Venetis eſt, qui eam ingenti pecunia coemptam ſuæ ditioni adiecerunt, & iam plus trecentis annis poſſident. Inſulæ autem adiacent Cretæ Glaudus nunc GoZo, ad quam D. Paulus appulit, Act: 27. Letoa, Dia, Cimoles, & Melos. Atque hactenus de Regionibus, quæ libris ſecundo ac tertio apud Ptolomæum continentur.

DE AFRICA ET EIVS PARTIBVS.

Ac primùm de Mauritanijs duabus, Numidia, ac Africa minore.

CAPVT DECIMVM.

AFRICA *ſecunda orbis pars, quam quidam inde exiſtimant appellatam, quaſi apricam, quòd ſit aperta cœlo vel Soli, & ſine horrore frigoris: nonnulli verò ab vno ex poſteris Abrahæ de Cetura, qui vocatus eſt Afer. Terminatur ab Occidente mari Atlantico, à Meridie oceano Æthiopico, ab Oriente mari Rubro, & à Septentrione mari mediterraneo, quod ex oceano apud Columnas Herculeas tenui riuo & non niſi decem millibus paſſuum patenti ingreditur terram. Regio eſt eximiæ & propemodùm portentoſæ fertilitatis, vtpotè quæ locis quibuſdam centeſimo fænore reddat cultoribus meſſem. Habet & vites, quarum duorum hominum complexus capere non poteſt. vuarum racemos cubitales, Staphilini, Hippomaratri & carduorum ſcapos duodenum cubitorum enormi craßitudine, calami Indicis ſimiles, quorum nodi octo capiant modiolos. Aſparagos adhæc videri haud minus notabili magnitudine. Arbores inſuper circa Atlantem proceritate inſigni enodi, nitore & folio cupreßi: ſed omnium nobilißima citrus Romanis olim delitijs inſerta. Alit etiam Africa Elephantos & dracones, qui ipſis beluis inſidiantur ſuoq; complexu enecant, leones, bubalos, pardos, capreas, ſimias, cercopithecos, Cynocephalos, Camelopardales, Rhizes tauris ſimiles, Onagros inſuper, Tygrides, Rhinocerotes, Lynces, Camelos, Hyenas, Hiſtrices, agreſtes arietes, Pantheras, Pigardos, Sthrutios, Formicas ad formam canis maximi, Lycaones, Tarandos, Pegaſos, Tragopas, Hyppopotamos, & præter multa ſerpentum genera vt Dipſas, Hypnales, Ceraſtes & Aſpidem, cui peſti Icneumonem minimum animal oppoſuit natura. Crocodilum etiam, Scorpionem, Baſiliſcum & Catoblepam, quæ viſu hominem interimunt. Cornutos quoque aſinos ibi naſci author eſt Herodotus, & Thoas ex hyena & lupo genitas. Crocutas ex hyena & læna, Leopardos ex læna & pardo, & alia multa animalia ex diuerſis commixta, vnde vulgare*

Græcis

Græcis dictum emanauerit. Semper aliquid noui Africam afferre. Tradit enim Plinius, inopia aquarum fieri, vt ad paucos amnes animalia innumera congregentur, inter quæ quùm variè fœminis cuiusq́ generis mares aut vi aut voluptate miſceantur, ex varia & diuerſa ſeminum mixtura, multiformes inde partus conſtare. Cùm autem familiaris ſit incolis eorum partus, ideò illis non tàm prodigioſi, vt nobis habentur. Profectò (inquit Joachimus Vadianus) gratiam aliquam illi regioni varietas animalium conciliaret, etiam monſtroſa, ſi ex illis nulla noxia æderentur, & iſto malo in totum Africa careret. Quia Saluſtius grauis quidem author plures mortalium in Africa beſtijs, quàm morbis interire ſcriptum reliquit. Habet autem Africa regiones, vt Ptolomæus libro quarto ſcribit, duodecim, Mauritanias duas, Tringitanam ſcilicet ac Cæſarienſem, Numidiam nouam, Africam propriè, Cyrenen, Marmaricam, Libyam, Ægyptũ inferiorem, Thebaida, Libyam inferiorem, Æthiopiam ſupra Ægyptum, & Æthiopiam omnibus his auſtralem.

Mauritania (regnum magnum & ditiſſimum) à Mauris vetuſta gente nominata, diuiditur in Tingitanã & Cæſarienſem. Tingitana, quæ antea Sitiphenſis ab perueteri oppido Sitiphi, pòſt autem Tingitana ab oppido Tingi (ab Antæo quondam conditum) appellata eſt, habet ab Oriente Mauritaniam Cæſarienſem, à Septentrione mare noſtrũ vſq; ad fretum Herculis ſeu Gaditanum, nunc el Strecho de Gibaltrat ſiue de Seuilla, q̃ inter Abylenæ & Calpis duobus promontorijs coartatur, ab Occidente oceanum Occidentalem & Atlanticum, à Meridie Libyam interiorem. In hac Ptolomæus duos Atlantes conſtituit, maiorem ſcilicet & minorem. Inſigniora autem oppida in ea ſunt Phuth, à Phuth Noë nepote, qui Phuthæos Mauritaniæ populos produxit & Zilia, Zelis Straboni. ArZilla hodiè, à Luſitanis capta. Inſulæ etiam ſunt ab occaſu prouinciæ in exteriori mari, Pœna, & Eythia ſiue Gerionis inſula.

Cæſarienſis verò Mauritania ab occaſu habet Mauritaniam Tingitanam, à Meridie Libyam, ab ortu Numidiam, à Septentrione mare Sardoum. Sumpſit autem nomen à Cæſaria ciuitate inſigni, cui adiacet inſula, quæ Tulia Cæſarea, in qua ciuitas etiam eodem nomine dicitur. Oppida celeberrima in ea ſunt VuiZa, Oran hodiè ſub Hiſpanorum imperio, & Saldæ colonia. Algier hodiè, Regnum quondam Barbaroſſæ. Non tacendum autem hoc loco, ambas Mauritanias D. Auguſtini ætate, & ante eum D. Cypriani celeberrimas eccleſias pioſq́ & eruditos viros Epiſcopos habuiſſe, id quod non vno in

loco ipſemet etiam innuit D. Auguſtinus. Hæ regiones nigros homines, ferasq; producunt ſimias, dracones & ſtrutiones, ibi etiam ſpontè naſcuntur omnia genera fructuum, producunt quoq; arbores odoriferas cupreſſo ſimiles, & Euforbium in magna copia.

Numidia ab incolis paßim vagantibus ſic eſt vocata, quod nullam certam haberent ſedem, nam linguâ eorum incertæ ſedes & vagæ Numidiæ dicuntur. Habet ab Oriente minorem Africam, à Septentrione mare, quod tendit in Sardiniam, ab occaſu Mauritaniam Cæſarienſem, à Meridie Libyam. Hæc licet ſpatio anguſtior ſit, quàm Mauritania ipſa, magis tamen culta & ditior eſt, teſte Pomponio Mela, eximio etiam marmore & equorum nobilitate memorabilis à multis prædicatur. Inter oppida autem præcipuè ſunt celebria Cartenna, Arſenaria, & Cirta opulentißima quondam, & duorum regum Syphacis & Iubæ, vt Mela tradit, domus: quorum prior tertio bello Punico à Scipione captus, & (ſi Polubio credimus) in triumpho ductus, alter in Cæſaris Dictatoris bello ciuili, quia ſe partibus ſocium præbuiſſet, extinctus eſt.

Africa minor deinde ſequitur, à Numidia vſque ad Philenorum aras, ſeu Cyrenaicam regionem extenſa, quæ quoniam cultißima eſt, & clarißimis quondam frequens vrbibus, lacubus etiam amœna & irrigua magnis fluminibus, Africæ nomen propriè ſibi vſurpauit. Punica bella eam, poſt deuictam Carthaginem attriuerant. Cæterùm vbi Romanorum Colonia facta eſt, iterum creuerunt opes, & veteris gloriæ atque potentiæ veſtigia quædam relicta ſunt. Omnes autem harum regionum incolas vulgus mercatorum ac pyratarum, Barbaros, & ipſas regiones Barbariam vocat. Vrbium verò, quas memorare operæ precium eſt in ea, eſt Hippon regia, vbi D. Auguſtinus vir de religione Chriſtiana benè meritus fuit Epiſcopus. Hæc ciuitas ob aquarum irrigua vocatur à Græcis Catharitum. Eſt & Carthago caput olim totius Africæ ſeptuaginta duobus annis condita ante Romam. Hæc habuit reges potentißimos, qui vſque adeò imperium dilatauerant, vt etiam inter quatuor principalia regna à quibuſdam poneretur. Inſulæ autem adiacent Africæ iuxta continentem hæ. Hydras, Calathe nunc vulgò Golettam vocant, Dracontinus, Ægymnus, quã vulgò Zerbas nominant, Laruneſiæ duæ, Lopaduſa, Æthuſa, Cercinna, Lotophagites, Myſinus, Pontia, & Caia. Pelagiæ verò inſulæ Africæ hæ ſunt, Coßira vulgò Pantalaria, Glauconis inſula, & Galos vulgò Gozo, cuius terram enecare in Africa ſcorpiones, Plinius eſt author.

Eſt &

Eſt & Melite nunc Malta D. Pauli naufragio & appulſu percelebris, patria mea dulciſſima. Hæc poſt amiſſam Rhodon, intercedente Philippo de Villers Liſladamo Magiſtro magno, ab Imperatore Carolo ad inhabitandum conceſſa eſt auratis Hieroſolymitanæ militiæ equitibus, anno Domini 1530. 4. nonas Octobris, ne prorſus mutata conditione mari exuerentur, quam adhuc contra Turcarum impetus, cum ingenti ſuſtinent gloria.

Notandum autem hoc in loco Iunonis templum & Herculis non eſſe inſulas, vt quibuſdam videtur, ſed loca Melitæ inſulæ, quorum adhuc Herculani templi immenſæ reliquiæ patent circuitu in paſſus ter mille & vltra, in eo inſulæ angulo quem ab argumento loci, patria lingua Euriportum nominant. Sic & Iunonis templi ruina ſparſa medio ferè loco inter oppidum & caſtellum apparet in multa iugera, fundamentis & ſubſtructionibus templi bonam portus eius partem occupantibus, quod ideò indico, ne, cùm quid, harum rerum ſtudioſis ſcitu fuerit neceſſarium, aliunde ſit mendicandum.

CAPVT XI.

De Cyrenaica, ac reliquis nationibus Africæ.

CYRENAICA regio, celebrata Ammonis oraculo, Pentapolis etiam dicta, habet quinque ciuitates egregias Berenicen, Arſinoën, Ptolomaidam, Apolloniam & Cyrenem maximam octoginta ſtadiorum, in campo iacentem ædito, vt in mari videri poſſit. Hæc ab Ariſteo condita putatur, qui filius regis Theramenis inſulæ in Africam nauigans, montem Cyram propter amœnitatem loci & fontis Solis vbertatem occupauit. Gignit beſtias plurimas, inter quas leones principatum tenent, onagros inſuper, ſerpentes & baſiliſcos procreat, copia etiam ibidem illuſtrium ſimiarum. Habet autem hæc regio ab occaſu Syrtim magnam & Africam, à Septentrione Libycum ſeu Punicum mare, ab ortu Marmaricam, & à Meridie deſerta Libyæ interioris.

Marmarica, quæ hodiè Barcha dicitur, regio eſt aſpera, & feri homines, in quibuſdam tamen & certis locis frugifera. Nam ligna precioſa, cupreſſum, Sandalum, & muſcatum producit. Habet & leones, pſittacos, Syraffiones & Plemelilas. Habet autem ab Oriente ſola terminos Libyam, à Septentrione mare Libycum ſeu Punicum, ab Occidente Cyrenaicam regionem, & à meridie Libyam interiorem.

Libya, in qua eſt Hammon oraculo Iouis clara ciuitas; habet ab ortu ſolis montem Punicum Herodoto, qui ſunt Libyci montes Ptolomæo, & Ægyptum, à Septentrione mare Ægyptiacum, ab occaſu Marmaricam, & à Meridie deſerta Libyæ interioris & partem Æthiopiæ ſub Ægypto. Hæc Iacobo Zieglero hodiè Gadames regio cenſetur, dactylorum prouentu diues, ſed ob frumenti inopiam incolæ cum Nigritis negotiantur.

Ægyptus illa omnium Regionum vetutiſsima, quam Nilus fluuiorum maximus mediam ſeçat, terminos habens ab Oriente Africæ ſolitudines, ab occidente ſinum Perſicum, à Septentrione mare Mediterraneum, à Meridie Æthiopiam ſub Ægypto cognominatam, diuiditur in Inferiorem, ob formæ ſimilitudinem etiam Delta vocatam (quæ nunc in duas partes diſtinguitur, in Errif nempe, quæ Alexandriam, & Bechriam, quæ Damiatam olim Peluſium verſus vergit) & Superiorem, ſiue Thebaidem, hodiè Sahid nominatam, cuius fertilitatem celebre illud vetuſtatis præconium indicat eam publicum orbis terrarum horreum nuncupans. Inexhauſtas verò eius opes tot immenſæ omnem temporis ſuperantes iniuriam, ac in hunc vſque diem integræ illæſæq́; permanentes Pyramidum moles, tot ſtupendæ altitudinis ex ſolido marmore Obeliſci, tot Coloſſi, Sphynges, Statuæ: illa inquam operum ſtupenda, omnibusq́; ſeculis decantata miracula, quæ plura quàm aliæ omnes Regiones, teſte Herodoto oculato, ſola exhibet, quibus ipſis vrbs Roma, etiam quùm maximè florebat, ſeſe decorare non erubuit, ſatis declarant. Variè verò gubernata fuit: primò enim ſuis Regibus (qui Pharaones dicti) deinde Æthiopibus: quibus eiectis, iterum ſuis Regibus vſque ad Alexandri Magni tempora paruit. Poſtea Ptolomæos habuit Reges, ſub quibus Romani ea potiti ſunt, atq; in Prouinciæ formam redegêre, donec Heraclio imperante Saraceni eam occupârunt, qui illi Reges Sultanos dictos dedêre, quos tandem Patrum noſtrorum memoria, Anno 1517. Turcæ, duce Zelimo, expulerunt, qui eam adhuc hodiè poſsident. Inſulæ autem Libyæ & Ægypto, quæ adiacent in Ægyptio quidem pelago ſunt, Ædonis inſula, Tyndarij ſcopuli tres, Æneſippa, Phocuſæ duæ, Pedonia, Didymæ duæ & Pharos à nauclero Menelai ibidem ſepulto nuncupata, in qua Ptolomæũ Regem Ægypti ferunt feciſſe turrim altiſsimam talentis 800. non ad alium vſum, quàm nocturnos ignes nautarum curſui oſtendendos, cuius operis architectus fuit Soſtratus ait, Lucanus libro 9. In Arabico verò ſinu, Saſpirene, Aphrodites, & Agathonis inſulæ.

Libya interior terminos habet à Septentrione duas Mauritanias,

Africam

Africam atq; Cyrenen, ab oriente Æthiopiam, quæ ſupra Ægyptum eſt, ab occidente Oceanũ Occidentalem, à Meridie Æthiopiam omnibus his auſtraliorem. Sunt ibi magnæ ſolitudines & deſerta, in quibus ſunt leones, pardi, Tigrides, elephantes, leopardi, Syraffiones, ſtrues, papagalli, ſerpentes & formicæ miræ magnitudinis, ibi auri copia, ac gentes partim omnino nigri, dicti Zilofi, partim fuſci, atq; ſubcinericij coloris. Populi in hac celebres ſunt Getuli, quos Gartheas Athenodorus appellat, & Garamantes incertè & permixtim vxoribus vtentes. Inſulæ autem adiacent Libyæ in Oceano Occidentali Cerne, Autolaa, & Fortunatæ, quæ Canariæ (ob ingentes canes, quorum ibi copia eſt) hodiè dicuntur. Sunt tamen ſeptentrionaliores quàm Ptolomæus tradit. Hæ anno circiter 1405. à Gallo nomine Betanchor, ex conceſſione reginæ Catharinæ, regis Ioannis filij ſui, dũ infans eſſet, tutricis, repertæ forte fortuna fuerunt. Longa namq; annorũ curricula incognitas iam obliuioni tradiderant. Numerantur autem, vt quidam aiunt, decem, è quibus tres incultæ ſunt, reliquæ verò cultæ, quarum nomina ſunt, Grancanaria, Teneriffa, Palma, Lancelotum, Forteuentura, Gomera, & Ferrum, ab Hiſpanis Ferrea dicta, in qua nulla eſt alia potabilis aqua, præterquàm ex rore de arbore vnica, in Inſulæ ſupremo dorſo ſtillante aſſiduè, & in lacunam manu factam cadente. Sunt & Heſperides inſulæ, hodiè inſulæ Capitis viridis, ſub dominio regis Portugalliæ.

Æthiopia, quæ ſupra Ægyptum eſt, regio ingens & diues, priùs Ætheria & Atlantia dicta, nunc verò Bugia et regnũ Nubiæ dicitur, cuius populi olim primi coluêre Deos: legibusq; vſi ſunt, iam verò rudes alij Chriſtum, alij Maometha ſectantur, definitur à Septentrione latere Marmaricæ, Libyæ & Ægypti, ab occaſu parte interioris Libyæ, à Meridie exteriore Æthiopia, ab ortu verò Solis reliqua Arabici ſinus parte, et deinde mari Rubro, ac Barbarico pelago. Huic regioni præfuit tempore Auguſti Candace Regina, quæ mouit bellum contra Romanos, quorum præſidium apud Philas oppreſſit. Eunuchus ille, qui in Actis Apoſtolorum celebratur, huius fuit Reginæ præfectus. In hac regione eſt etiam illa Meroë inſula inter Nili amplexus contenta, Elſaba hodiè dicta, in qua D. Mathæum Euangelium prædicaſſe ferunt. Hæc Ioſepho teſte, eſt illa Saba, vnde ad Salomonem profecta eſt Regina. Ab hac verſus ortum Prætoianes, quem illi Giam, id eſt potentem vocant, ſuum obtinet imperium, quod etiam longè vltra Nilum, & vſque ad littora maris Indici, & Erithræi ſeu Rubri extenditur. Non eſt autem ſacerdos, nec vllis ſacris initiatus, ſed potentiſſimus Rex, vtpote qui duobus & ſexaginta alijs regibus imperitare

prædicetur. Principes atque alios maioris dignitatis Antiſtites, quùm in apertum exeunt, crux præcedit, & aureum vas terra refertum, vt hoc inſpectum euntem ſuæ admoneat mortalitatis, illa dominicæ paſſionis. Sacerdotes procreationis cauſa (Græcorum more) ducunt vxorem, quam ſi morte amiſerint, nefas eſt aliam ſuperducere. Inſulæ autem iuxta Æthiopiam, quæ ſub Ægypto eſt, hæ ſunt. In Arabico quidem ſinu, Aſtarte, Ara Palladis, Gypſitis inſula topaſiiferax, Gomadeorum duæ, Myronis Inſula, Cathatræ, quæ etiam Chelonitides dicuntur, Inſulæ duæ, Thriſitides duæ, Magorum inſula, Daphnine, Acanthine, Macaria, Orneon, Banchi & Antibacchi, Panis, Diodori, & Iſidis. In ſinu autem Aualite Mondi inſula, Poſt Aromata verò Emporium et promontoriū Amici inſula, Menan inſulæ duæ et Myrſiace. Ab oriente harum inſularum pelagus Hyppadis vocatur, cui coniungitur ab ortu Solis mare Indicum vſq; orientem.

Æthiopia omnibus his auſtralior, quæ etiam interior & maior appellatur, terminatur à Septentrione Libya interiore & Æthiopia ſupra Ægyptum, ab occaſu verò & Meridie terra incognita Ptolomæo, hodiè tamen ab Hiſpanis & Portugallenſibus illuſtrata vſque ad caput bonæ Spei, ab ortu autem et Rapto promontorio Barbarico ſinu, qui dicitur Aſperū mare, propter æſtus vſq; ad Praſſum promontoriū, vbi Melinde Regnum. Circumhabitant autem hanc Regionem à quorum occidentali parte pertingunt montes Lunæ, ex quibus Nili paludes originem trahūt, Æthiopes antropophagi, idololatræ ac ſarcophagi. Ad occidentem verò ſunt Ichthiophagi, quondam Alexandri Magni victi armis, vbi Regnum Gambra, vbi Zebetum reperitur & varia genera Simiarū. Adhuc autem verſus ortum & auſtrum, vbi terra pſittacorum à Neotericis conſtituitur, Regio magna Cinnamomifera Æthiopum eſt, in qua elephantes albi gignuntur, Rhinocerotes, Tigrideſq;, & Mamonetum animal de genere ſimiarum. Atq; hactenus, quæ Ptolomæus libro quarto meminnit.

DE

DE ASIA EIVSQVE PARTIBVS.

CAPVT XII.

ASIA tertia terræ pars & maxima, appellata ab Aſia Oceani et Thethyos filia, Iapeti vxore ac Promæthei matre: ſiue vt alij volunt, ab Aſio Manæi Lydi filio, eſt ab Europa Tanai fluuio, palude Mæotidis, Ponto, mariq́; Ægæo, ab Africa verò ſinu Arabico, deinde linea, quæ hinc in mare mediterraneum ducitur, diſcreta. Tàm latum autem et patens dicunt eſſe, quicquid terræ Aſiæ nomine continetur, vt Europa & Africa reliquæ duæ partes non magis complectantur, quàm hæc ſola. Cœlo temperato eſt; ſolo fertili, & propterea omnium animantium genere cultiſsima. Prouincias ſiue Regiones multas habet, quas autem recenſet Ptolomæus libro quinto ſunt hæ. Pontus ac Bithynia, quæ propriè Aſia dicitur, Phrygia magna, Lycia, Galatia, Paphlagonia, Pamphylia, Cappadocia, Armenia minor, Cilicia, Sarmatia Aſiatica, Colchis, Iberia, Albania, Armenia maior, Cyprus Inſula, Syria caua, Phænice, Palæſtina, Iudæa, Arabia petræa, Meſopotamia, Arabia deſerta, et Babylonia. In ſexto verò libro Regiones ſunt hæ, Aſſyria, Suſiana, Media, Perſis, Parthia, Carmania deſerta, Carmania altera, Arabia fælix, Hircania, Margiana, Bactriana, Sogdiana, Sacæ, Scythia intra Imaum montem, Scythia extra Imaum montem, Serica, Aria, Paropamiſus, Drangiana, Arachoſia, & Gedroſia. In ſeptimo deniq; libro ſunt, India intra Gangem fluuium, India extra Gangem, Sinarum Regio, & Taprobane inſula.

CAPVT XIII.

De Ponto ac Bithynia, Aſia propriè, Lycia, Galatia, ac Paphlagonia, Pamphylia, Cappadocia, Armenia minore, & Cilicia.

PONTVS & Bithynia, à Bithyno rege nominata, terminantur ab occaſu ore Ponti, Boſphoro Thracio, et parte Propontidis, à Septentrione parte Euxini Ponti, ab ortu Galatia, & à Meridie, quæ Aſia propriè dicitur regione. Sunt autem Regiones diuites & opulentæ rerum. Habent enim planiciem ſemper roſcidam & herbidam. Tantam prætérea agreſtium pomorum & vltrò naſcentiũ copiam afferunt, vuarum, prunorum, malorum, ac

nucum, vt quocunq; anni tempore in ſyluas exierint, ijs abundent, cùm interdum adhuc fructus in arboribus pendeant, interdum lapſa in terram ſub folijs iaceant. Vnde & multa etiam ferarũ omnis generis in ijs venatio, propter alimoniæ copiam. Vrbes in ijs præclaræ ſunt, Nicomedia, Apamia, Heraclea, Libyſſa Hannibalis interitu celebris, Claudiopolis, vbi ſcripſit D. Lucas Euangeliſta Euangelium & Acta Apoſt: Nycea, vbi conciliũ Nycenum celebratũ eſt, & Pruſa penes Olympum montem Burſa hodiè ac Aſiatici Imperij caput. Inſulæ autem adiacent regionibus Cyaneum, Thyrias, & Erithinus ſcopulus.

Sequitur Aſia propriè, quæ terminatur à Septentrione Bithynia, ab occaſu reliqua Propontidis parte, & Helleſponto, Ægæoq; pelago ac Icario, Myrtooq;, à Meridie Rhodienſi pelago, ab oriente autẽ Lycia, Pamphylia & Galatia. Hæc præter quod valdè celebris eſt multitudine doctiſſimorum virorum in omnium diſciplinarum genere, habuit etiam templum Dianæ in Epheſo vrbe celeberrima, eximium Amazonum opus, cui etiam Xerxes pepercit, quòd tamen Heroſtratus, vt nominis ſui memoriam perpetuam acquireret, incendit, hocq; ſcelus ſua ſponte faſſus eſt. Comprahendit autem Aſia hæc, Phrygias duas maiorem, & minorem, & hanc quidem Troiadem dici, in qua Jlium & Ida mons, Paridis iudicio memorabilis, Cariam, Myſias item duas, maiorem & minorem, Lydiam, Meoniam, Eolidem, Ioniam, ac Doridem regiones, quæ quidem omnes cum adiacentibus magna Turchia dicitur, quæ populoſa eſt, & variarum Sectarum, nimirum Turcorum, Græcorum, Iacobitarum, & Armeniorum. Præcipuæ ciuitates in ea ſunt, Colophon Homeri patria, Sardis quarum eccleſiam inter ſeptem illas Aſiæ præcipuas Ioannes Apocalyp. 2. cenſuit, Philadelphia Lydorum vrbs clariſſima, quam proximè tempore D. Pauli terræmotus afflixit, commune Aſiæ malum, & Phiſcus, vbi Latonæ matris Apollinis & Dianæ lucus, ſub Ioannitarum ante Turcas imperio. Inſulæ verò adiacent Aſiæ apud Helleſpontum Tenedos, à Tenide puella nomen habens, in qua latuerunt Græci, cùm inſidias ſtruere tentauerunt Troianis. In Ægæo autem pelago Leſbos, etiam Mytilene dicta, D. Pauli actis clara, & laudabilis vini feraciſſima. In Icario verò pelago, Icaria, quæ mari nomen dedit, Myndus, Chios, vbi Dianæ facies erat in ſublimi poſita, cuius vultus introeuntibus triſtis, exeuntibus verò hilaris videbatur. Vbi etiam maſtichen è lentiſco manare Dioſcorides & Plinius teſtantur, adeò laudatam medicis, vt nec Indica nec Arabica antecedat, neque quæ è Græcia & Ponto aduehitur, melior ſit. Pathmos, in qua D. Ioannes Euangeliſta exulans

lans Apocalypſim ſcripſit. Samos clara nomine Iunonis, abundans luto fictilibus conficiendis aptiſsimo. In Myrtoo autem pelago, Arceſina, Begialis. Mynyia, Aſtipalæa. In Rhodiaco autem & Carpathio pelago, Syme, Ceſus, Cos Hyppocratis medici natale ſolum, vbi etiã Pamphila Platis filia, prima docuit veſtes bombyceas texere ex filis, quæ ex bombycijs fiunt. Carpathus clara, & adeò celebris quondam & potens, vt mari etiam nomen dederit. Eſt & Rhodus ſic dicta, eò quod ῥόδον, hoc eſt, roſa, inter iaciendum fundamenta vrbis Rhodi ſit inuenta. Hæc à ſacris Hieroſolymitanæ militiæ equitibus ſub Fulcone de Villareto magiſtro magno, è manibus Saracenorum iure belli erepta eſt anno Domini 1308. die 15. menſis Auguſti. Nunc iterum ob Regum & principum inter ſe ſæuas diſcordias, & inteſtina bella cum ſumma ignominia & detrimento nominis Chriſtiani à Turcis (toties antea fruſtra petita & obſeſſa) occupata anno 1522. Cùm eam equites illi ducentis & quatuordecim plus minus annis tenuiſſent.

Lycia à Lyco rege Pandionis filio cognominata, clariſsima quondam Aſiæ regionum, & ſeptuaginta oppida complexa, terminatur ab occaſu & Septentrione Aſia minore, ab ortu verò parte Pamphyliæ, quæ à fine eſt Aſiæ vſque ad mare, per Maſicytum montem, à Meridie autem mari Lycio. Non tacendum autem Lyciorum quondam florentiſsimam rempublicam fuiſſe, & ad Italiam vſque dominatu marino pertigiſſe. Sunt in ea Patera & Myra vrbes inſignes, illa ortu, hæc epiſcopatu D. Nicolai. Eſt Chymera mons, qui continuis noctibus & diebus ignem exhalare ac totus flagrare dicitur. Huius montis ignis aqua incenditur, & terra ac ferro extinguitur. Habet in cacumine leones, in medio paſcua, & in imo multitudinem ſerpentum. Inde in vulgum data eſt fabula triformis monſtri, quod habeat pectus leonis, caprinum ventrem, crura ſerpentis & flammas euomat. Inſulæ adiacent Lyciæ, Maxima, Dolichiſte, & Chelidoniæ ſcopuli quinque.

Galatia regio ſanè ingens fertilis ac diues, quam etiam Turcarum imperator ſuæ adiecit ditioni, limites habet, ab occaſu Bithyniam, & partem Aſiæ, à Meridie Pamphyliam, ab ortu verò partem Cappadociæ vſq; ad Pontũ, & à Septentrionibus partem Ponti. Galatia autem à Gallis eſt denominata. Hi cùm eſſent nimis multiplicati, receſſerunt è Gallia ad quærendas nouas ſedes, venientesq; ad Græciam à rege Bithyniæ in ſubſidiũ ſuſcepti contra hoſtes, nactaq; victoria, dedit eis partem regni ſui, quæ vocata eſt Gallogræcia deinde Galatia. Huius regionis populi priùs Gomoritæ dicti ſunt à Gomor filio Iaphet, vt refert

Ioſephus libro primo. Ad hos etiam ſcripſit D. Paulus Apoſtolus. Ciuitates inſignes in ea ſunt, Sinope Mithridatis regis Ponti patria & ſepulchrum, Germanopolis caput prouinciæ Turcarum. Gordinus, cuius templũ ingreſſus Alexander, nodum Gordiũ, quùm manu explicare nõ poſſet, gladio ſecuit, ceu lib. 3. tradit Curtius. Pompeiopolis à Pompeio condita, & Ancyra, vbi Synodus Ancyrana poſt tempora Marcellini Papæ celebrata fuit, de qua meminit Gratianus in Decretis.

Pamphylia, Mopſopia cognominata, terminatur ab occaſu Lycia & parte Aſiæ, à Septentrione Galatia, ab oriente Cilicia et parte Cappadociæ, à Meridie verò ipſo Pamphyliæ pelago, vbi Cymonis Athenienſium ducis aduerſus Phœnicas et Perſas naualis pugna atq; victoria fuit. Vrbes in ea celebres ſunt inprimis Attalia ab Attalo cognomine Philadelpho dicta, ſi Straboni credimus, Sida à Cumanis Aſiæ cõdita, Perga ob Fanũ Dianæ, quæ inde Pergea dicta eſt, Aſpendus ab Aſpendo conditore, et Phaſelis à Mopſo condita, finis Phamphyliæ. Inſulæ autẽ adiacent Pamphyliæ Crambuſa et Apelbuſa Inſula, Attelebuſa Plinio.

Cappadocia, quam à Cappadoce amne Plinius dici putat, gentium vniuerſarum, quæ Pontum accolunt, præcipuè introrſus recedit. Terminatur ab occaſu Galatia, & parte Pamphyliæ, à Meridie Cilicia & parte Syriæ, ab oriente Armenia magna, & à ſeptentrionibus parte Ponti Euxini. Eſt terra diues clarorum præſulum, quæ ne ſic quidem tot memorijs onuſta reliquæ Aſiæ conferri queat. Perfunditur etiam claris amnibus, quorum memoratiſsimus Halys, Cræſi aliquando regnorum ab ortu terminus, vt teſtis eſt Herodotus. Eſt & altrix equorũ, & prouentui equino accommodatiſsima. Vrbiũ autem dignarum memoratu, maximè clarum eſt, Cæſarea, vbi præſules Baſilius & Gregorius Nazianzenus, viri non doctrina ſolùm, ſed pietate etiam conſpicui, Tyana, vbi Tyanenſis quondam Synodus habita, cuius Sozomenus meminit. Amaſia Strabonis patria, & Trapezus Metropolis prouinciæ Turcarum.

Armenia minor, quæ olim Leucoſyria, vt ait Procopius, appellata eſt, terminatur à Septentrione et occaſu Cappadocia, ab ortu Euphrate, et à Meridie Cilicia et monte Amano. Eſt regio nõ infrequens, et Aſiaticis opibus atq; cõmercijs ſplẽdens. Huius regionis incolæ Chriſtiani quidẽ ſunt, ſed diſsident à Romana Eccleſia. Habent enim ſuũ Primatem, quem vocant Catholicũ. Vrbes celebres in ea ſunt, Nicopolis, cuius conditor Pompeius fuit, clariſsimis quondam illis in locis contra Mithridatẽ et Tigranem victorijs potitus, vnde et vrbi nomẽ datũ, et Sebaſtia ſanctorũ Quadraginta Martyrũ paſsione clariſsima, teſte Baſilio Magno Hom. 20.

Cilicia

Cilicia, quæ authore Curtio propemodùm tota, niſi vbi pelagus eſt, montibus includitur, à Septentrione Cappadocia ac minore Armenia, ab ortu Amano monte ac Syria, ab occaſu Pamphylia, & à Meridie mari Iſsico ſiue Cilicio terminatur. Hæc regio quondam, teſte Solino, vſq; ad Peluſiū Ægypti pertinebat, ac Lydijs, Medis, Armenijs, Pamphylia, ac Cappadocia imperitabat. Regio eſt fertilis, & vt ait Marcellinus, bonis omnibus diues. Vrbes celebres habet quā plurimas, quarum omniū Metropolis fuit Tarſus, quam Romani incolumi etiamnum imperio, propter dignitatē et vetuſtatem, liberam eſſe voluerunt, patria D. Pauli. Eſt & Solos oppidū antiquum patria Chryſippi Stoicæ ſapientiæ potentiſsimi, quod Pompeius, Piratico bello confecto, & plus mille trecentis nauibus combuſtis, Pompeiopolin de ſe vocauit, captiuis ex pugna, quos vita dignos iudicaſſet, eò deductis, & Seleucia aſpera Trachiotis cognomita Plinio.

CAPVT XIIII.

De Sarmatia in Aſia, Colchide, Iberia, Albania, & Armenia maiore.

SARMATIA Aſiatica terminatur ab ortu Scythia & parte Caſpij maris, ab auſtro Albania, Iberia, Colchide, & parte Euxini Ponti, ab occaſu Palude Mæotide, Sarmatia Europæ, ac Cimmerio Boſporo, ab Arctis terra incognita Ptolomæo. Eſt regio nemoroſa & plurimùm paludinoſa, pluribus & maximis fluminibus irrigua, piſcibus ob id & feris varijs abundans. Nutrit & vrſos, alces, atq; magnos & nigros lupos, noſtris truculentiores. Inſigniores in ea vrbes ſunt, Hermoneſſa Madaq; hodiè, Oenanthia hodiè S. Sophia, Tana, Nauaris, & Moſca Regia vrbs magna & populoſa, duplo maior, quàm Praga Bohemiæ.

Colchis, auri & metallorū diueſe, xtima eſt occaſum verſus, & nobis proxima, regio nō hiſtoria modò celebrata, ſed & fabula, Medeæ ſcilicet et Iaſonis, & aurei illius velleris fama, quæ vnde locū habuerit, & vnde Poëtis nugandi occaſio data ſit, abundè explicuit libr. 11. Strabo. Terminatur autem à Septentrione parte Sarmatiæ Aſiaticæ, ab occaſu Ponti Euxini parte, à Meridie ſinu Cappadocio & Armenia maiore, et ab ortu Iberia. Ex oppidis inter mediterranea, Surium, maximè clarū eſt, è maritimis autem Dioſcurias Emporium adeò celebre quondam, vt Plinius libr. 6. cap. 5. tradat Romanos 130. interpretibus negotia Dioſcuriade geſsiſſe, ob gentium, quæ illò confluxiſſent, linguas tàm diſſonas.

Iberia Caucaſiis & Moſchicis montibus, quæ Tauri pars ſunt, velut ſeptis quibuſdam incluſa, terminatur à Septentrione Sarmatia, ab occaſu Colchide, à Meridie parte maioris Armeniæ, & ab oriente Albania. Hæc autem regio, quò anguſtior eſt, hòc frequentiùs habitatur, ſed minus tamen memorabili rerum prouentu. Vrbium eius, celeberrima eſt Armactica, quæ Harmaſtis, Plinio, & Harmoſice dicitur Straboni.

Albania ſuperfuſa montibus Caucaſiis aduſque Cyrum amnem, vbi Armeniæ & Iberiæ confinium eſt, deſcendit, clariſq; amnibus è Caucaſo venientibus perfunditur. Terminatur à Septentrionibus Sarmatia, ab occaſu Iberia, à Meridie parte maioris Armeniæ, & ab ortu mari Caſpio ſiue Hyrcano. Eſt terra non aëris ſolùm ſalubris & sereni, ſed eximiæ etiam fertilitatis. Nam multis in locis ſemel ſata bis teruè fructum reddunt, nouellæ vites in bimatu feraces cernuntur, adultæ ferè tantum reddunt, vt pars maxima in palmitibus relinquatur, ſicut libro vndecimo ſcribit Strabo. Oppida eius regionis plura, ſed ex veteribus memoratum, Chabala, Cabalaca Plinio. Inſulæ autem adiacent Albaniæ duæ paluſtres.

Armenia maior terminatur à Septentrionibus parte Colchidis, Iberiæ & Albaniæ, ab occaſu minore Armenia ac Euphrate, parte etiam Cappadociæ, ab oriente parte Hyrcani maris & Mediæ, & à Meridie, Meſopotamia, atq; Aſſyria. Regio hæc intus ferè montibus et collibus exaſperatur, & innumeris conuallibus ceu laciniis quibuſdam diuiditur, quarum quidem eximia eſt fertilitas, niſi quòd vitem loca quædam reſpuunt. Gignit & equos tàm præſtantes, vt cum Parthicis Mediſq; & Albanis nobilitate certent. Sed & reliquo pecore propter agri bonitatem abundat. In vertice Gordei montis Armeniæ poſt diluuium arcam Noë conſediſſe ferunt, Boccatius & Haithonus. Vrbium autem Armeniæ duntaxat vetuſtarum, quarum recepti Scriptores meminerint, præcipuæ ſunt iuxta Tigrim, Tigranocerta edito & munito loco, iuxta Araxem autem Artaxata, ab Hannibale, quùm ab Antiocho in has terras diſceſſiſſet condita. Eſt & Nicopolis extructa à Pompeio inter Euphratis & Araxis initia, cùm contra Mithridatem Lucullo ſucceſſiſſet. Memoratur & Albanopolis Sophronio, D. Bartholomæi Apoſtoli tumulo clara.

CAPVT

CAPVT XV.

De Cypro Inſula, Syria, atq; eius partibus, Phænice, Caua Syria, Paleſtina Iudæa, Arabia petreæa, Meſopotamia, Arabia deſerta, ac Babylonia.

CYPRVS *Inſula, quam Iaphet Noë filius primùm inhabitauit, nouem aliquando, vt Pomponins Mela tradit, regnorũ ſedes, media inter Ciliciæ Syriæq́; littora iacet, longitudine ab occaſu in ortum ducta, & à borea Cilicio, ab occaſu Pamphilyo, à Meridie Phænicio & Ægyptiaco, ab ortu Syrio mari clauſa, abundat vino, ſaccharo, ſale & oleo, frumenti quoque ſatis habet. Abundat etiam æris metallis, in quibus vitreolum & rubigo æris naſcitur, ad medicinæ vſum idonea. Regia ſedes fuit in Nicoſia, à qua octo Germanicis milliaribus diſtat Famaguſta alia inſignis vrbs. Hæc inſula ſub Venetorum dominio erat, ſed iam peccatis noſtris ſummi Dei in nos grauiſſimam iram concitantibus, per Turcas expugnata cum magna Chriſtianorum profligatione anno 1571. Inſulæ verò penes ipſam ſunt, quæ appellantur Clides, & Carpaſias.*

Syria regio ſacris litteris multùm celebrata terminatur ab occaſu mari Syriaco & monte Amano, à Septentrione Cilicia & parte Cappadociæ, à Meridie Iudæa Paleſtina, intercedente Carmelo monte, & ab ortu Arabia deſerta, Meſopotamia, ac flumine Euphrate. Eſt autem tota regio variarum opum diues, frugum fertilis, & balſamis opima. Vnde multi ex diuerſis regionibus potentia & diuitijs pollentes, eum locum ſibi ad inhabitandum elegerunt, ciuitateſq; & oppida ſibi condiderunt. Sub ea Phænice compræhenditur & Syria Caua. Porrò Phænices primi mercandi vſum excitârunt, cœli inſuper & ſtellarum curſum, omniumq́; ſuperiorum motum ingenij magnitudine inuenerunt. Litteras etiam & litterarum operas, aliaſq́; artes, maria nauibus adire, claſſe confligere, imperitare gentibus, regnũ præliumq́; commenti. Clariſſimarum vrbium in Caua Syria ea prima & præcipua eſt Damaſcus, qua vetuſtior in tota Aſia vix eſt, cùm fuerit extructa ante Abrahæ tempora, vbi S. Paulus baptiſmum ſuſcepit, et propè eam in terram proſtratus fuit luce cœleſti, dum perſequeretur Chriſtianos. Eſt etiam Antiochia, rerum aduectitiarum copia celebris à Seleuco illo primo Syrorũ rege, vt exiſtimatur condita, dein ampliata ab Antiocho, vnde & nomen eius retinuit. Eſt et Palmyra Hebraicè Thamor à Solomone conſtructa, de qua inter Parthos & Romanos diu

de imperio eſt certatum, poſtea ab Hadriano Hadrianopolis eſt dicta, teſte Stephano. Nec prætermittenda eſt & Tyrus vrbs olim Phænicis maxima, Sidoniorum Colonia, negotiatio maris, emporium totius orbis, olim quidẽ inſula, ſed ab Alexandro Magno propter expugnationem multis in breui freto comportatis aggeribus, terra continens facta eſt. Adiacet Syriæ Aradus inſula à continente 20. ſtadia ſemota.

Paleſtina Iudæa particularis Syriæ prouincia primùm terra Chanaan, deinde terra Iſraël & Iudæa dicta fuit, ac propter Philiſtijm ſeu Paleſtinorum cohabitationem, Paleſtina. Clauditur mari mediterraneo, Iordane fluuio, monte Libano & termino Ægypti. Metropolis eius eſt vrbs illa toto orbe memorabilis Hieruſalem, princeps prouinciarum, poſſeſsio Patriarcharum, Prophetarum et Apoſtolorũ mater, iniciatrix fidei & gloria populi Chriſtiani, ſita in terra optima, quæ olim habitatoribus ſuis lac & mel fluens, nunc verò vniuerſo orbi remedia ſalutis & vitæ porrigit alimenta. De Sion enim egreſſa eſt lex, et verbũ domini de Hieruſalem. Hanc dominus ab initio ſingulari ſupra alias terras fauore proſequi dignatus fuit. Cùm habitatores eius eſſent recti & optimi, terra quoq; ipſa variarum opum fuit diues, frugibus fertilis, aquis illuſtris, opima balſamo & omni rerum genere abundans. Quando verò Dei obliti in vitia proruebãt colebantq; idola, nulli non fuit peſti obnoxia. Beſtijs malis patebat introitus, lepra paſsim omnia corripiebat, nedum corpora hominum, verũ & habitacula atq; veſtes eorum hoſtilis gladius vndiq; habitatoribus imminebat, fames, ſitis, clauſura cœli, multiplexq; illa maledictio, quæ Deut: 27. deſcribitur, fines eius peruagabatur, vt iam nõ terra optima ſed infæliciſsima, inculta, ſterilis, omni dulcedine carens, ſuos habitatores deuorãs, ænea, dura & tota horrida eſſe diceretur, qualis et in hunc vſq; diem eſſe depræhenditur ab ijs, qui eam peregrè accedunt. Cæterùm Iordanis efficit nonnullos lacus in terra, præſertim eum quem vocant mare Galileæ, Lacum Samachonitem, qui æſtate ſiccatur in paludes; & ſylua, quæ obducitur, infeſta eſt leonibus. Porrò lacus Aſphaltis, quinq; vrbium ſubuerſione memorabilis, fumoſus eſt, & nullum corpus animantis recipit, ſed tauri & cameli in eo fluitant, etiam homines nandi imperiti, vbi ad ilia vſque in eum proceſſerint, attolluntur. Vallis ſylueſtris eſt & plena ſalinis, quam Aſphaltis lacus inundauit, antiquitùs verò cultiſsima erat, adeò vt ob fælicitatem paradiſo Dei conferretur. Manſit eius ſpecies apud Iericho & Engadi, vbi adhuc palmeta ſunt & horti balſami.

Arabia Petræa terminos habet ab occaſu Ægyptum, à Septentrione

trione Paleſtinam Iudæam, à Meridie interiorem ſinum Arabicum, & ab ortu Arabiam Fælicem ac Deſertam. Hæc veteribus ob ſqualorem & ſterilitatem, parùm quidem laudata, nobis verò rerum verè diuinarum memoria ita frequens & celebris exiſtit, vt multis nominibus odoriferæ illi & diuiti ac fælici, quam gentes extollunt, præferri & anteponi debeat. Nam vt ſummas tantùm rerum attingamus, Iſraëlem ſicco pede Rubrũ mare transgreſſum, prima omnium hoſpitali benignitate excepit, nec minùs quadraginta annis tenuit. Eſt etiam in ea terra Madian, quæ Moſen aduenam, cum coniuge & charis liberis quadraginta annis aluit. Eſt & mons Sina, priùs Moſi vocatione per angelum in flammeo rubi incendio, mox & legis diuinæ eodem in monte datæ, ſtupenda reuelatione nobilitatus, vbi etiam corpus beatæ Catharinæ virginis ſepultum eſt per angelos. Inter oppida minimè obſcura in ea, præcipuum eſt Petra, regia quondam gentis, & quæ proximè aduentum Seruatoris noſtri potentiſſimum regem Aretam habuit, cuius ſæpiuſculè Ioſephus meminit.

Meſopotamia regio, quòd inter duos amnes Tygrim & Euphratem media ſit, μεσοποταμία *dicta eſt, terminatur à Septentrione Armenia maiore, ab occaſu Euphrate fluuio ac Syria, ab ortu Aſſyria per amnem Tygrim, & à Meridie reliqua parte Euphratis iuxta deſertam Arabiam vſq; ad finem. Eſt autem tantæ fertilitatis, vt exiles agri quinquageſimum, cultiores verò centeſimum fœnus reddant, teſte Plinio. Cauſa autem tantæ fertilitatis eſt humor, qui ex vtroque amne manat, toto ferè ſolo per venas aquarum redundante, ait Curtius. Fert & paſcua ad paſcenda pecora, lætiſſima, fert quæ ſemper virent arbores, & aromata, alitq; leones. Oppida habet plurima, ſed omnium, quæ meminiſſe referat, Carræ præcipuum, vbi Abraham habitauit, vbi & M. Craſſus gu,rges auaritiæ, cum Ro: exercitu cæſus eſt. Item Edeſſa Abagari quondam regis ciuitas.*

Arabia deſerta, ſpacioſa quidem eſt, nec paruis ſolitudinibus, vbi ſerpentes & beſtiæ immanes morantur, vaſta, qua de re nomen ei eſſe putandum eſt, cùm alioqui non paucis oppidis & numeroſa bellicoſaq; gente habitetur. Habet à Septentrione Meſopotamiam, ab oriente Babyloniam, à Meridie Fælicem Arabiam, & ab occaſu partibus Syriæ, & Arabiæ Petrææ. Celebre inter oppida aliquando fuit Tapſacum Euphratis impoſitum ripæ.

Babylonia, quæ & Chaldæa etiam à quibuſdam dicitur, terminatur à Septentrionibus Armeniæ magnæ parte, ab occidente Meſopotamia, à Meridie Suſiana, ab oriente autem Media. In ea, præter ſum-

mam fertilitatem, eſt etiam Babylon vrbs grandis atque Metropolis, tantæ celebritatis, vt tota Chaldæa, Meſopotamia & Aſſyria, Babylonia ſit appellata, ſexaginta millia paſſuum amplexa, muris ducenos pedes altis, quinquagenos latis, in ſingulos pedes ternis digitis menſura ampliore, quàm noſtra, interfluo Euphrate, mirabili opere vtroque. Habuit et hortos penſiles, quos ſiue Semiramis, ſiue Aſſyriæ Rex Cyrus fecerit, nõ ſatis cõſtat. Penſiles autẽ dicti ſunt, quòd ſupra ædificia facti vel columnas, erecti pendebant, inter ſeptem mundi miracula celebratiſſima. Atq; hactenus de regionibus, quas Ptolomæus libr. 5. recenſet.

CAPVT XVI.

De Aſsyria, Media, Suſiana, Perſide, Parthia, Carmania deſerta, Arabia Fælice, Carmania altera, ac Hyrcania.

ASSYRIA terminatur à Septentrionibus Armeniæ magnæ parte, ab occaſu autem Meſopotamia, à Meridie verò Suſiana, & ab oriente parte Mediæ. In hac autem regione raro pluit, ſed fluminis irrigatione & accolarum labore magna frumenti vbertas paratur. Palmis veſcũtur, ex quibus mel et vinũ conficiunt. Vrbes in ea celebres ſunt Niniuæ, quæ Ionæ Prophetæ prædicationem audiuit, nunc vaſtata tota eſt, vt tradit Haithonus lib. de Tartaris. cap. 11. Eſt et Arbela, vbi Dariũ vicit Alexander.

Media à Medo Medæ et Ægæi Athenienſium Regis filio, vel vt Ioſephus ait à Medeo Iaphet filio appellata, terminatur à Septentrione mari Hyrcano, ab occaſu maiori Armenia et Aſſyria, à Meridie Perſide, & ab oriente Hyrcania ac Parthia, quæ montibus excluditur. Sterilis regio, qua ad Septentrionem obuerſa eſt: quo fit, vt ex malis in hunc vſum exiccatis ac contuſis maſſam conficiant, ex toſtis amygdalis panem, ex herbarum radicibus vinum, ferinis carnibus plurimùm victitantes. Sagittandi equitandiq; ſtudium genti præcipuum ac penè peculiare. Ecbatanis caput eſſe regionis, ab Arphaxat condita, vt in libro Iudith habetur.

Suſiana à Suſo flumine, ſiue à Suſis Aſſueri ciuitate magna, quæ Metropolis regionis eſt, ſpeciale nomen ſortita, terminatur à Septentrione Aſſyria, ab occaſu Babylonia, à Meridie verò ſinu Perſico, & ab ortu Perſide. Porrò Suſa hodiè Baldach dicitur, in qua agit Pontifex magnus Saracenorũ, quem Caliphum vocant teſte M. Paulo Veneto libr. 1. cap. 16. & Haithono Cap. 15. Inſula verò adiacet Suſianæ, Taxiana nomine.

Perſis

Perſis, quæ & Perſia, à Perſa Iouis & Danaës filio dicta, terminatur à Septentrione Media, ab occaſu Suſiana, à Meridie Perſico ſinu, & ab ortu ſolis Carmaniјs duabus. Eſt regio fertilis & ſalubris temperatum habens cœlum, multisq́ vicis & vrbibus frequens & culta, regno quoq; quondam omnium Aſiæ maximo & potentiſſimo, nobilitata. Perſepolis regionis eſt Metropolis, & totius orientalis Imperij olim caput, in quã à multis Regibus immenſa gaza congeſta erat, quã Alexander Magnus, orbis terrarum pauor, diuitijs refertam cepit & diruit, multis auri talentorum millibus receptis. Inſulæ autem Perſidi adiacent, Tabiana, Sophtha & Aracia.

Parthiam montibus vndique cinctam, Parthi Scytharum exules à ſe vocauerunt, terram videlicet furto occupatam, definitur ab occaſu Media, à Septentrione Hyrcania, ab oriente Aria, & à Meridie deſerta Carmania. Eſt regio nemoroſa & montana, inopsq́; frugum, vini tamen ferax, & vt ait Strabo, apes in arboribus mellificare ſolent. Gens ipſa primùm fuit obſcura, poſtea Macedonibus ſeruiuit, ſed procedente tempore tantùm in virtute creuerunt, vt non tantùm finitimis imperarent, ſed à Romanis bello petiti, eos magnis cladibus vicerint. Inter vrbes regia eſt Hecatompylon, id eſt, centum habens portas, de qua meminit Apollodorus.

Carmania deſerta terminatur ab occaſu parte Perſidis, à Septentrionibus Parthia, ab oriente parte Ariæ, & à Meridie altera Carmania. Qui hanc inhabitant, ſine veſte ac fruge, ſine pecore ac ſedibus eſſe, & piſcium cute ſe velare tradit Pomponius libr. 3. cap. 8. D. Hieronymus quoque contra Iouianum libr. 2. ſcribit, ſuper petras ſolis calore feruentes, piſces aſſare, & hoc ſolo alimento victitare.

Arabia tertia, quæ propter fertilitatem & fructuum copiam Fœlix nominatur, terminatur à Septentrionibus lateribus Meridionalibus Petrææ, & deſertæ Arabiæ, & parte auſtraliori Perſici ſinus, ab occaſu ſinu Arabico, à Meridie mari Rubro, & ab ortu ſinu Perſico & mari Rubro. Producit autem Calamum, myrrham, thus, & caſiam, cinnamomum, ligna odorifera, & reſinam ſuauiſſimi odoris, vt etiam mira fragrantia ex illa regione ſpiret ad eos, qui in mare à longè adueniunt. Vrbes in ea celebres ſunt Badeo regia Mecha hodiè, ibi Mahometis ſepulchrum à Turcis ſumma deuotione viſitatur, peregrinisq́; ibidẽ nihil aliud oſtenditur, quàm deauratus calceus Mahometis in teſtudine templi pendens, teſte Bartholomæo Georgeuitz Hungaro, & Methath, vbi Mahometus Alchoranũ, legem Turcarũ et Saracenorũ Anno 624. conſcripſit. Sed harũ omnium celeberrima eſt Saba regia,

gia, ſedes quondam Gaſparis Magi, qui de auro Aurabico dona ferebat puero IESV. *Inſulæ autem regioni adiacent iuxta ſinum Arabicũ, Æni, Timagenis, Zigana, Dæmonũ, Polybij, Ieracum, Socratis, Cardamina, Ara, Combuſta, Meliachi duæ, & Adani duæ. In Rubro verò mari Agathoclis duæ, Cocconati tres. Dioſcoridis, Tritaq́. Et iuxta Sachalitem ſinum Zenobij ſeptem, Organa, quæ Ormus nunc dicitur, in qua Chriſtiani quidem, licet Mauris pareant, & Serapiadis. In ſinu denique Perſico Apphana; Ichara, Tharro, Tylus, & Aradus.*

Carmania altera, quæ hodiè Magoliſta dicitur, terra non tàm auro, ferro, & ære laudatiſsimo, ſed opibus marinis quoq́ celebris, terminatur à Septentrione Carmania deſerta, ab oriente Gedroſia, à Meridie mari Indico, & ab occaſu Perſide et ſinu Perſico. Carmanis prædicatione D. Thomæ Chriſtum innotuiſſe, author eſt Sophronius: hodiè verò ſub imperio Perſarum eſt. Vrbes habet præclaras Arcinum emporialem, Carmanam Metropolim, & Oram Biſinagar, hodiè triplici circundatam muro, vbi Rex potentiſsimus Narſindus. Inſulæ autem adiacent Carmaniæ in Perſico quidem ſinu Sogdana, in qua Miltus, & Vorrochtha. In Indico autem mari Polla, Carminna, & Liba.

Hyrcania dicta à ſylua Hyrcana, quæ Scythiæ ſubiacet, terminos habet à Septentrione Hyrcanũ pelagus, ab occaſu Mediam, à Meridie Parthiam, & ab oriente Margianam. Eſt autem ſyluis aſpera, copioſa immanibus feris, tigridibus, pantheriſq́ & pardis, Eſt in ea vberrimũ gignendis vuis ſolum. Frequens arbor in ea quercus, cuius folia ante ortum ſolis multò melle tinguntur, ſed orto ſole modico tempore ſuccus extinguitur. Ciuitates in ea ferũtur celebres Hyrcania Metropolis, Adrupſa, & Saca. Adiacet regioni vnica inſula nomine Talca.

CAPVT XVII.

De Margiana, Bactriana, Sogdiana, Sacis, duabus Scythijs, ac Serica.

M*ARGIANA amænis montibus vndiq́ incluſa, terminatur ab occaſu Hyrcania, à Septentrionibus parte Scythiæ, à Meridie parte Ariæ, & ab oriente Bactriana. Eſt autem amænitatis adeò inclytæ, vt in ea vitem inueniri aſſerat Strabo, cuius ſtipitem duorum hominum vix vlnæ complectantur, racemum verò duorum cubitorum orbem implere, quod Alexander miratus ibi primùm Alexandriam condidit, qua diruta à Barbaris Antiochus Seleuci filius eodem loco reſtituit Seleuciam.*

Bactriana

Bactriana terminos habet ab occaſu Margianam, à Septentrionibus & ortu Sogdianam diuiſam ab ea Oxo amne, & à Meridie Ariam & Paropamiſadas. Bactrianæ autem terræ, vt ait Curtius, multiplex & varia natura eſt, alibi arbor & victis largos miteſq; fructus alit, ſolum pingue, crebri fontes rigant, quæ mitiora ſunt frumento conſeruntur, cætera armentorum pabulo cedunt. Sed oleo dumtaxat ſolo caret, alitq; camelos fortiſſimos. Mille in ea olim vrbes, inter quas ipſa Bactra regionis eſt Metropolis, ſita ſub monte Paropamiſo. Bactrus autem amnis præterit mœnia, is vrbi & regioni dedit nomen.

Sogdiana terminos habet ab occaſu & ſeptentrionibus Scythiam intra Imaum montem, ab oriente verò Sacas, & à Meridie Bactrianam et Indiam. Proditur autē multis in locis harenis ſterilem et ſqualidam eſſe, atque aquarum penuria cultorem non admittere, quod ſanè multis locis, Orientis præſertim & Auſtri, alioquin fertiliſſimis accidit. Sunt in ea duæ Alexandriæ, Oxiana ſcilicet ac vltima. Sunt & aræ Herculis, Bacchi, Cyri, Semiramidis, & Alexandri, ambitioſo nimirum victoriarum commento, vt quantum gloriæ vincendo illi eſſent aſſecuti, poſteritas cerneret.

Sacæ, Nomades dicti, terminantur ab occaſu Sogdiana, à Septentrionibus Scythia intra Imaum montem, ab oriente verò Scythia extra Imaum montem, & à Meridie ipſo Imao monte ac India intra Gangem. Eſt regio nemoroſa, & paſtu quàm frugibus vberior, ciuitates non habent ſed ſpeluncas & lucos inhabitant. Sacis autem & vicinis populis Chriſtum Dominum D. Thomæ Apoſtoli miniſterio prædicatū fuiſſe, Sophronius, & ante eum Euſebius ſcriptum reliquerunt.

Scythia à Scytha Herculis filio, vt tradit Herodotus, dicta, duplex eſt. Vna intra Imaum montem. Altera extra Imaum. Scythia intra Imaum montem terminatur ab occaſu Sarmatia Aſiatica, à Septentrionibus terra Ptolomæo incognita, ab oriente verò Imao monte, & à Meridie Sacis, Sogdiana & Margiana. Eius populi nullis conſtant terminis, eò quòd agros non colant, neque conuenticula celebrent, ſed per ſolitudines & inculta vagantur loca: habent enim domos volubiles in plauſtris, & ſic armenta pecoraq; præ ſe agentes, coniuges & liberos plauſtris, vehunt, vbicunque voluerint.

Scythia extra Imaum montem terra Mongal magnæ Tartariæ pars hodiè dicitur, & definitur ab occaſu Scythia interiori & Sacis, à ſeptentrionibus terra Ptolomæo incognita, ab oriente Serica, à Meridie verò India extra Gangem. Regio eſt plurimùm montoſa, vbi campeſtris eſt, admixta glarea harenoſa eſt, ſterilis niſi aquis fluuiali-

fluuialibus, quæ tamen rariſsimæ ſunt, irrigetur, & ob hanc etiam cauſam multùm deſerta & infrequens eſt, ciuitates in ea nullæ, nullæ villæ, præter vnam, quæ Cracuris dicitur, lignis in pleriſq; locis adeò inops, vt arido boum et equorum ſtercore incolæ ipſi ignis fouere atq; cibaria decoquere cogantur. Strepunt equitatus gloria, veſcuntur humanis carnibus, & interfectorum caluarias habent pro pateris.

Serica terminatur ab occaſu Scythia, quæ extra Imaum montem eſt, à ſeptentrionibus et ortu terra Ptolomæo incognita, à Meridie verò India extra Gangem. Maxima ibi copia vermiculorum, qui ſericum conficiunt, quorum apud Siculos, Italos, Hiſpanos, & iam nunc etiam in Germaniæ locis aliquot ad eum vſum nutriuntur. Eſt etiam ibi mira aëris clementia, et longiſsimus æuus. Nam ducenteſimum vitæ annum excedunt incolæ. Rutilas habent comas, oculos cæruleos, vitant reliquorũ mortaliũ cætus, frugaliſsimi & pacatioris vitæ cultores. Aduenis illuc euntibus ad emenda ſerica nulla ſermonum vice, rerum precia ſolis proponunt oculis. Nihil ſibi comparant aduectitiũ, et ideò iuſtiſsimi, quietiſsimi, ſanctiſsimiq; omniũ mortaliũ iudicantur.

CAPVT XVIII.

De Aria, Paropamiſadis, Drangiana, Arachoſia, Gedroſia, duabus Indijs, Sinarum Regione, & Taprobana Inſula.

ARIA terminatur à ſeptentrionibus Margiana & parte Bactrianæ, ab occaſu Parthia, & Carmania deſerta, à Meridie Drangiana, & ab oriente Paropamiſadis. Regia ſeu Metropolis in ea eſt Ocerra, & Alexandria, ab ipſo Alexandro condita, quam præterfluit Arius fluuius. Eſt autem regio multis in locis fertilis. Turqueſten regnum Haithonus & Marcus Venetus appellant.

Paropamiſadæ à monte Paropamiſo, eis à ſeptentrione imminente, ſic dicti, terminantur ab occaſu Aria, à ſeptentrionibus parte Bactrianæ, ab oriente parte Indiæ, à Meridie verò Arachoſia. Eſt autem regio omnium rerum, oleo dumtaxat excepto, fertilis, & Turqueſtenſis Tartarorum regni pars. Ciuitates inſignes in ea ſunt, Naulibus, & Carura, quæ & Orthoſpana dicitur.

Drangiana terminatur ab occaſu Carmania deſerta, à ſeptentrionibus Aria, ab oriente Arachoſia, & à Meridie parte Gedroſiæ. Ciuitates autem & oppida non obſcura in ea ſunt Prophthaſia, et Ariaſpe. Incolæ verò lapidum precioſorũ veſtiumq; copiam habent ſericarum.

Arachoſia

Arachoſia ſolibus ambuſta & ſterilis, terminatur ab occaſu Drangiana, à Septentrionibus regione Paropamiſadum, ab Oriente parte Indiæ intra Gangem, à Meridie verò Gedroſia. In hac quoq; eſt Alexandria, & Arachotus vrbs celebris à Semiramide illa Babylonica, quæ Indos quoque petijt, condita. Huius regionis incolas Dionyſius λινογχλαίνυς, *appellat, id eſt, lineis vtentes veſtibus.*

Gedroſia Tarſe regnum Haithono & Sabellico, terminatur ab Occaſu Carmania altera, à Septentrionibus verò Drangiana & Arachoſia, ab Oriente parte Indiæ intra Gangem, & à Meridie Indico pelago. Plinius libro 9. cap. 3. de Indici maris beluis loquens, tradit Gedroſos Alexandri claßium præfecto prodidiſſe domibus fores maxillis beluarum facere, oßibus autem tecta contignare. Quod ſanè minimè fabuloſum exiſtimandum eſt, ea oſſa contemplantibus, quæ vel à mediterranei maris beluis allata in templis etiam dicata conſpiciuntur. Inſignes in ea vrbes ſunt Muſarna, & Arbis. Inſulæ verò adiacent Gedroſiæ Aſthæa, & Codane. Sciendum autem has regiones ab Macedonibus olim duce Alexandro Magno regis Philippi filio luſtratas fuiſſe, alioqui non vſq; adeò celebres eſſe, nihilq; memoratu dignum habere, & apud veteres raram, vel nullam potius eſſe mentionem. Atq; hactenus de Regionibus, quas Ptolomæus libro ſexto recenſet, quas autem in ſeptimo habet, etiam paucis attingamus.

India intra Gangem definitur ab occaſu regione Paropamiſadum, Arachoſia, & Gedroſia, à Septentrionibus autem Imao monte iuxta ſuperiacentes ſibi Sogdianos & Sacos, ab oriente verò Gange fluuio, & à Meridie Indico pelago. Eſt autem regio mercium diues, omniumq; illius oræ partium fertilißima, quippe illi etiam hyems fructus edit, omniaq; in totum in ea regione grandiora procerioraq; proueniunt, quàm alijs terris. Arbores multis locis liniferæ, gemmarum, margaritarum, piperis, cinnamomi, & calami aromatici magna copia. Lignum etiam Ebeni magno quondam æſtimatum mittit quidem, ſed præſtantius Æthiopia, fruticoſum enim eſt, Æthiopicum autem enodi trunco, & parte medullacea nigrum, durum, ac graue, reliqua magna parte cum Arabicis & Æthiopicis littoribus communia habet. Gentes habet multas & oppidis adeò eſt exculta, vt quidam in ea 5000. eſſe dicant. Sed mirum in tanta laxitate terrarum & montium, quæ aurum tamen & argentum ferat, neq; æs illi neque plumbum gigni, quod veteres modò prodiderunt, ſed margaritis illa permutari. Deſerta eius dracones habent, & tantæ magnitudinis ſerpentes, vt elephantes, cum quibus eis perpetua diſcordia eſt, circumflexu facili ambiant,

nexuq; nodi perſtringant teſte Plinio. Habet fluuios memorabiles Gangem, Indum & Hypanum, ſed omnium maximus Ganges, qui vbi eſt anguſtiſsimus, XII. M. paſſuum, ac inſuper quingentis, vbi latè patet, author eſt Arrianus, alit crocodilos, delphines, & alias beluas. Ciuitates in ea celebres ſunt, Camanes, hodiè Calicut, Emporium aromatum totius orbis, Portugalenſibus frequentatum. Colchi Emporium regia ciuitas, cuius rex Luſitanorum eſt amicus. Curula Colon hodiè, ciuitas & regnum, Contacoſsyla, & Pallura, ſed harum omnium celebratiſsima eſt Caticardama, Ciromandel hodiè, vbi S. Thomas Apoſtolus fuit ſepultus. Inſulæ autem adiacent huic Indiæ Scylana ſeu Zailon, cui quaterni reges longè lateq; imperitant, adeò in immenſum pateſcit, habetq; montem excelſum, quem montẽ Adæ vocant. Putant enim incolæ in hoc monte Adamũ pœnitentiã egiſſe. Abundat precioſis lapillis pyrotis ſcilicet, quos rubinos vocamus, hyacinthis, Zephiris ac topazijs, in qua etiam multa aromata creſcere fama eſt. In Canticolpo verò ſinu, Barace, Milizigeris, Heptaneſia, Tricadiba, Piperina, Trineſia, Leuce, Nanigeris, & in ſinu Argarico Cory inſula.

India extra Gangem, quam etiam minorem vocamus, & ab incolis Munici regio nuncupatur, terminatur ab occaſu Gange fluuio ac altera India, à Septentrionibus Scythia & Serica, ab Oriente Sinarum regione, à Meridie autem Indico pelago. Eſt regio fertiliſsima abundans auro, argento, & lapidibus precioſis. Habet etiam tigres & elephantes, gallos gallinaceos barbatos & coruos, & pſittacos albos. Ciuitates inſigniores, quas habet, ſunt, Baracura Emporium, Bangella hodiè ciuitas fœcundiſsima & regnum latiſsimum, Balonga Metropolis inter Orientales nulli ſecunda. Et in Aurea Cherſoneſo Tacola Emporium, Malacha nunc dicitur, miræ magnitudinis, à Portugalenſibus vi capta, quod teſtatur epiſtola Emmanuelis regis ad Leonẽ decimum Pont: Max: Inſulæ autem dicuntur adiacere Indiæ huic Bazacata, vbi conchæ multæ reperiuntur, & qui hanc incolunt, nudi continuò degere feruntur. Anthropophagorum tres, Bonæ fortunæ, Baruſſæ quinque, Sabadibæ tres, Iabadij, id eſt, hordei inſula: feraciſsima enim hæc inſula dicitur, & præterea auri multum efficere, Satyrorum inſulæ tres, quarum incolæ caudas habere dicuntur, quales Satyris pingunt pictores, & Maniolæ decem, in quibus dicunt nauigia, quæ clauos ferreos habent, detineri, ac ideò illa ligneis compaginant, ne quando lapis Herculeus, qui circa ipſas gignitur, illa attrahat, obq; hoc ſuper trabibus ea in ſicco firmari aſſerunt.

Sinarum regio, de qua nihil propemodùm eſt apud Authores, terminatur

minatur

minatur à Septentrionibus Serica, ab ortu ſolis atq; Meridie terra Ptolomæo incognita, ab occaſu India extra Gangem ac ipſo magno ſinu, & partibus, quæ deinde adiacent Ferinis appellatis. Huius rex potentiſſimus totius ferè mundi celebratur, qui ne regium ſtemma alieno polluatur ſanguine, ſororem in coniugem ſumit. Nulli ſe conſpicuum præbet. Palatium habet mirificè extructum, ſeptuplicíq; muro communitum, inter quemq; ambitum perpetuò vice mutata, decies milleni cuſtodes excubant. Principes immorigeros pelle exuit. Gens candida ſic ſatis, quæ veſtibus menſaq; pro epulis ritu ferè noſtro vtitur, legis Chriſtianæ expers, crucem tamen Domini (ignota cauſa) magnificè veneratur. Ciuitates in ea inſignes ſunt Cattigara, Aſpithra, Sarata, & Metropolis ſeu regia Sinæ.

Taprobanes inſula Cory Indiæ promontorio oppoſita, ac omnium maxima apud Ptolomæum, antequàm temeritas humana exquiſito penitùs mari fidem panderet, diu orbis alter putabatur, & quidem is, quàm habitare Antipodes crederentur, verùm Alexandri Magni virtus ignorantiam publici erroris non tulit vlteriùs permanere, ſed in hæc vſque ſecreta propagauit nominis ſui gloriam. Miſſus igitur Oneſicritus præfectus claſſis Macedoniæ, terram iſtam, quanta eſſet, quid gigneret, quomodò haberetur, exploratam notitiæ noſtræ dedit: patet in longitudine ſtadiorum ſeptem millia, in latitudine quinque millia, ſcinditur amne interfluo. Nam pars eius beſtijs & elephantis repleta eſt maioribus multò, quàm quos India: partem homines tenent, corporum magnitudine alios omnes excedentes. Crine fuſco, cæruleis oculis, atroci viſu, terrifico ſono vocis, quibus immatura mors eſt, in annos centum æuum trahunt. Alijs omnibus annoſa ætas, & penè vltra humanam extenta fragilitatem. Margaritis ſcatet & gemmis omnibus, auro præterea, argento, alijsq; metallis abundans. Eſt etiam ibi procerioris piperis vberior prouentus, miraq; copia. Sumatram vocant hodiè, moderanturq; ei quaterni diademate inſigniti reges. Ante Taprobanen autem multitudo inſularum iacet, quas dicunt eſſe, 1378. quarum tamen nomina traduntur, hæ ſunt, Vangana, Canathra, Orneorum, Ægidiorum, Monache, Ammine, Carcus, Phelicus, Erene, Calandadrua, Arana, Baſſa, Balaca, Alaba, Gumara, Zaba, Zibala, Nagadiba, & Suſuara. Ad has autem inſulas (velut ait Hermannus Torrentinus) nauigantes, quoniam Septentriones non vident, aues ſecum vehunt, quarum aliquas ſæpiùs emittunt, vt ſequantur volatum earum.

DE REGIONIBVS SEPTENTRIONALIBVS EXTRA PTOLOMÆVM, ENGRONELANDIA

ſcilicet, Iſlandia, Friſlandia, Scandia, & quibuſdam alijs Gotthici maris inſulis.

CAPVT XIX.

BREVITER *trium inter ſe partiū diuiſiones diximus, nunc ne quid ad pleniſſimam demonſtrationis deſcriptionem ac inſtructionem deſit, de Regionibus, quæ extra Ptolomæum continentur memoratu digna, in quantum vigilantia noſtra inueſtigare potuit, quàm breuiſſimè etiam demonſtrabimus, vt absq; faſtidio vniuerſa lector agnoſcat, ab Engronelandia extra circulum Arcticum, quæ omnium Regionum ſeptentrionalior eſt initium ſumentes.*

Eſt igitur Engronelandia regio Septentrionalis, cuius Zenith eſt in ipſo polo Arctico, eiusq; Horizon idem cum circulo Æquinoctiali, qui Zodiacum in duas partes æquales interſecans, efficit, vt vna medietas totius anni ſit vnus dies artificialis, & altera medietas vna nox, & ita totus annus eſt ibi vnus dies naturalis. Sonat autem Engronelandia virentem terram, ob inſignem ſcilicet prouentum pabuli, quod in ea regione inuenitur. Porrò incolæ illius regionis ſcorteis, ſeu coriarijs nauibus vtentes, arbitrariaq; nauigatione, non exilem ſpoliorum quæſtum ſibi comparare ſolent, per artes inſidioſas, quas furtiuo ingenio tacitè tabulas nauium negotiatorum inferiùs terebrando, aquæ ingreſſum procurantes & illicò præſentiſſimam ſuffocationem. Licet etiam magicis artibus plurimùm ſint dediti, colantq; Idolum dictum, Zolotaia baba, hoc eſt, aurea vetula (eſt enim figura anus filium in gremio tenentis & alterum iuxta ſe infantem habentis, quem eius nepotem eſſe aiunt) habent tamen Epiſcopales eccleſias duas ſub Nidroſienſis Archiepiſcopi Regni Nortuegiæ ordinatione. Demùm verſus occaſum Pygmæi cubitales, vulgò Schrelinger dicti, habitare perhibentur, qui aſſiduè certant cum gruibus, & vincuntur etiam ſæpè numerò, quorum etiam mulieres pariunt anno quinto & ſeneſcunt octauo. Sed magis admirabile eſt, quod de monaſterio Prædicatorij ordinis in hac regione

regione D. Thomæ dicato ferunt, eſſe nempe non procul ab eo montem Vulcani inſulæ inſtar igniuomum ibidemq́ ignitarum aquarum fontem, cuius aquis non ſolùm omnia huius monaſterij monachorumq́ habitacula hypocauſtorum in modum calefaciunt, ſed etiam omne genus ciborum etiam panem, alio nullo adhibito igne, coquunt. Cæterùm eam regionem cùm ob altos montes, qui perpetuis niuibus obſiti rigent, tùm perpetuam glaciem mari innatam (quæ nauigationem impediat, periculoſamq́ faciat) à conuerſatione ſeu commercio noſtrorum hominum ſeiunctam, atq́ ideò nondum plenè cognitam eſſe audio.

Iſlandia autem inſula regno Nortuegiæ parens ſubiecta eſt polo Arctico, vento præſertim Circio oppoſita, ac mari Glaciali propinqua, atq́ ob id dici meretur Terra Glacialis, cuius incolæ à Saxone Sialandico continentiſſimi dicuntur, religione ſatis Chriſtiani, propriam ſcripturam, hiſtoriamq́ rerum magnificè geſtarum habentes. In ea quoque rupes, ſiue promontorium eſt, quod perpetuis ignibus æſtuat. Ibiq́ locus eſſe creditur pœnæ, expiationisq́ ſordidarum animarum. In eadem præterea inſula tanta butyri ſalſi, ob pecudum multitudinem, & paſcuorum vbertatem reperitur copia, vt non ſufficientibus vaſis aut tonnis, ciſtas ex odorifero ligno confectas quadraginta pedum longitudine, & quinque altitudine, quotannis pluribus in locis repleant, atque in domeſticum vſum, immò & mercatorum commutationem conſeruent. Ab incolis etiam loci infinita multitudine capiuntur piſces, vt ſunt aſelli, rhombi, vituli marini, & merluzia. Piſcibus igitur frigidis exiccatis ac toſtis, huiuſmodi butyro innunctis, loco panis frequentiùs vtuntur: vnde etiam Ichthiophagi appellati, diuq́ ſine medicina, etiam ſupra centum annos viuunt.

Eſt & Friſlandia inſula pabuli quoque vbertate celebris in hoc Oceano ſita, veteribus incognita, prorſus ignota quoque, cuius etiam apud neotericos Geographos aut Hidrographos nulla fit mentio, præterquàm vnum Nicolaum Zenum Venetum, qui anno Chriſti 1380. varijs diutinisq́ in hoc Oceano iactatus procellis, tandem naufragus ad hanc inſulam ſcilicet Friſlandiam appulit. Hic tradit hanc inſulam Regi Nortuegiæ obedire, maioremq́ eſſe Hibernia, eiusq́ primarium oppidum eiuſdem eſſe cum inſula nominis, incolasq́ vt plurimùm piſcationibus rem facere, Capitur enim in eius portu tanta omnis generis piſcium copia, vt inde multas onerent naues, quibus eas in inſulas circumiacentes auehunt.

Scandia verò ſeu Scandiana (quam Plinius ob incompertam magnitudinem, alterum orbem, & Jordanes, ac Paulus Diaconus Vaginam, ſiue officinam gentium appellant) non eſt inſula, ſed continens, & à quibuſdam hodiè Schonlandia, id eſt, amœna terra vocatur, ob portuum nimirum & emporiorum commoditatē, ob maritimas opes, lacuum & fluminum piſcationes, nobilium ferarum venationes, auri, argenti, plumbi, cupri & æris inexhauſtas venas, atq; oppidorum frequentiam. Continet autem Biarmiam, Scricfinniam, Finmarchiam, Lapponiam, Bothniam, Finlandiam, Nortuegiam, Suuetiam, Daniam, nonnullaſq; circumiacentes inſulas. Cæterùm cùm eam, harum rerum Scriptores, maiorem ipſa Suuetia fecerint, ex eaq; Gotthos & Longobardos progreſſos fuiſſe retulerint, videntur, mea quidem ſententia, hæc tria Regna, videlicet Nortuegiam, Suuetiam, & Daniam veluti integrum quoddam corpus, Scandiæ duntaxat nomine compræhendiſſe, quia tum illa terræ pars inter mare Baltheum, quod Finlandiam alluit & Glaciale, incognita fuit. Quæ res fecit, vt pleriq; hanc immenſæ magnitudinis Peninſulam, vno Scandiæ nomine appellarent, quamuis Procopius quandoque Thulem appellat. Sed quales partes eius ſint, iam paucis quoque videamus.

Biarmia igitur Borealis regio & inter ſinum Granduicum & lacum Album ſita, diuiditur, ſecundùm Saxonem Sialandicum, in vlteriorem, & citeriorem. In hac citeriore ſunt montes perpetuis, ſed innocuis niuibus offuſi, æſtiuiq; ardoris expertes, inter quos inuijs nemoribus & ſaltibus abundat, paſcuorum feraciſsima, inuſitatiſq; alibi beſtijs frequens. Crebri in ea fluuij, ob inſitas alueis cautes, ſtridulo ſpumantiq; volumine perferuntur. In vlteriore verò Biarmia ſunt quidam monſtroſæ nouitatis populi, ad quos aditus inuius & inſuperabilibus periculis obfuſus eſt, nec facilè mortalibus patere poteſt. Maior ſiquidem itineris pars præ altis niuibus perenniter obſidetur, quas ſi quis ſuperare velit, ceruis iugalibus (quorum maxima copia illic eſt, vt apud Italos aſinorum) currum inſtruit, cuius incredibili celeritate, eximio gelu rigentia iuga tranſcendat. Pugnaturi Biarmenſes, arma artibus plerunque permutant, carminibuſq; in nimbos ſoluere cœlum, ac lætam aëris faciem triſti imbrium aſpergine confundere conſueuerunt. Sunt Biarmi idololatræ & Amaxobij, Scytharum more, atq; in faſcinandis hominibus inſtructiſsimi. Quippe aut oculorum aut verborum, aut alicuius alterius rei maleficio, homines ita ligant, vt liberi non ſint, nec mentis compotes, ſæpeq; ad extremam maciem deueniant, & tabeſcendo diſpereant.

Inter

Inter Biarmiam & Finmarchiam ſita eſt Scricfinnia regio, angulum tamen longiorem verſus Auſtrum, & mare Bothnicum emittens. Eius incolæ admirabili quadam celeritate, certis planis lignis inſtar arcuum in anteriori parte curuatis, ac pedibus affixis, directione manualis baculi vtuntur, quibus ſeſe arbitraria voluntate ſuper niues, montium inacceſſa, valliumq́ ima, aſſequuntur, hyberno præſertim tempore, quia in æſtate, licet habeant etiam perpetuas, impreſsioni tamen lignorum citiſsimè cedunt.

Finmarchia verò regio, quæ olim ob ſui amplitudinem regio titulo decorata, hodiè verò ſub dominio Regni Nortuegiæ homines robuſtis corporibus, & animo magno habet, qui ab hoſtium incurſu ſe ſtrenuè defendere ſolent. Aër illius regionis, ſicut & vicinarum, ſemper frigidus eſt & ſerenus, innocuus tamen humanis corporibus, rariſsimas pluuias tempore æſtiuo admittens, tantaq́ eſt illic aëris temperies, vt piſces nullo ſale conditi, ſed ſolo aëre ſiccai, toto decennio à putrefactione durent.

Lapponia dicta eſt à populo, quo habitatur. Vocant enim Germani Lappones & Lappen, qui parùm idonea rei præſenti dicunt & faciunt, quos Latini ineptos vocant. Hi domos non habent, ſed tabernacula quaſi caſtrenſia. Ferarum maxima copia eſt in ea regione. Agrum non colunt, ſed piſces capiunt plurima copia, edomantq́ in farinam. Commercia permutatione & non pecunia agunt, mutuo conſenſu tantùm & nullo ſermone communicato, quia habent linguam peculiarem, & ignotam vicinis. Gens validiſsima eſt, & diu libera fuit & arma ſuſtinuit Nortuuegiæ Suetiæq́, donec conceſsit tandem ſub imperium & tributum pendit, precioſas ferarum pelles.

Bothnia, quæ ſinum Gotthicum ſiue Suueticū ad Septentrionē terminat, latiſsima eſt terra, & qui eam incolunt, piſcatu maximè viuunt, non ꝙ agrum ſterilem habeant, ſed quia tanta eſt his copia piſcium optimorum, vt in omnium neceſſariarum rerum permutationem abundè ſufficiat, ſuntq́ in omnibus rebus locupletes. Inter in ea oppida celebria, præcipuum eſt Thorna, id eſt, turrita inſula. Eſt autē hoc oppidū in loco plurimùm amœno, & commodo ſituatum, nec aliud emporium frequentiùs in toto tractu ſuppolari, quàm eſt hoc. Ad ipſum enim ex Hiſpania ac Luſitania optimum vinum, & ſal; ex Anglia & Flandria, precioſum pannū; ex Germaniæ ciuitatibus variam domorū ſupellectilē & ornatum; ex Suuetia triticum, ſiliginē, hordeum, & omne genus neceſſarij leguminis mercatores nauibus aduehunt & cōportant. Complures etiam alij ex partibus Nortuegiæ & aliarum vicinarum

regionum

regionum, per altiſsimos montes, & vaſtas ſolitudines, partim oblongis nauiculis, incitatiſsimis fluuiorum caſibus aptatis, partim curribus domitorum rangiferorum, partim etiam pandis perticis, quibus conſperſa, niuibus iuga montium citò ſuperant, celeriq; allapſu (vt ſupra de Scricfinnijs incolis dictum eſt) concurrunt.

Finlandia, quæ ſuperiori ætate dominum Moſcum habuit, hoc verò tempore ſub Rege Suuetiæ exiſtit, pulchra interpretatur terra. Vtuntur habitatores eius lingua diſtincta à Danis & Suuecis, nempe lingua Wandalorum, qua & Poloni atq; Ruſsi vtuntur. Sunt autem inter ſe benigni & modeſti, atq; ad iram tardi, ac ſi diu prouocati fuerint, tarditatem verò iræ magnitudine vindictæ compenſant.

Nortuegia, quam quidam Norduuagiam appellant, longo tractu Suuetiæ adiacet, mariq; alluitur. Atq; à Nort, id eſt, Septentrione, ad quem ſita eſt, quaſi Septentrionalis via, nomen accepit. Germani enim quatuor orbis plagis vernacula nomina indidêre, prouinciasq; his adiacentes inde denominauêre. Eſt autem omni vbertate fertiliſsima, habet enim boues, qui non tàm proceritate corporis, quàm numero magno ſingulis annis multiplicantur. Habet & equos ſtatura quidem mediocri, ſed admirandæ fortitudinis & pernicitatis maximè in montibus ac vijs ſaxoſis penetrandis. Habet & piſces in magna copia, quos extractos purgatosq;, integros vel in partes diuiſos, ſalito liquore conſpergunt, ſolis flatibus aſperrimis, frigore, atq; aëris rigore, ad ſiccandum exponunt, tùm in excelſas quaſi lignorum ſtrues componunt, quas in naues viciſsim collocant, atque ad celeberrimum totius Nortuegiæ emporium, Bergen nuncupatum, pro rerum commutatione aut precio diſtrahendas exportant.

Suuetia autem, à Sud, id eſt, meridie denominata, Nortuegiæ non ſecus coniuncta eſt, atq; Italia Neapolitano Regno & Pedemonti. Eſt autem regio diues argenti, æris, plumbi, ferri, & chalybis, pecoris & prouentu immenſo piſcium. Habet & infinitam multitudinem equorum, qui paludes & colles altos, profundosq; ſaltus indifferenter longiore dicta, magnaq; celeritate abſoluunt. Complectitur etiam multas & varias nationes, inter quas virtute bellica celebres Gotthi, qui in Oſtrogotthos, id eſt Orientales, & Veſtrogotthos, id eſt Occidentales Gotthos, pro regionum, quas incolunt ſitu, diuiſi, indeq; progreſsi, toti orbi, vt pleriq; Scriptores memoriæ prodiderunt, terrori fuêre. Huius regni Regia Halmia eſt, quam incolæ Stockolm, Rutheni verò Stecolna appellant, munita natura & arte, & ſita in paludibus inſtar Venetiarum.

Dania

Dania habet nomen à rege quodam Dano vocato, complectiturq́ Cimbriam Cherſoneſum ſiue Iutiam, quã vulgò Dietmarſen vocant, & multas circumiacentes inſulas in ſinu Codano. Eſt terra fertilis, aquis irrigua, nauibus peruia, venatione, pecore, piſcibus & alijs huiuſmodi rebus ad vitam & vſum humanum neceſſarijs valdè diues. Ciuitates inſigniores in ea ſunt Schleſvvic, vbi aliquando fuit Ducatus, Ripen, Wiburg, Harhuis, & Wendſyſſel Epiſcopales.

Gotthlandia, id eſt, bona terra ab omnibus eam frequentantibus ſic nominata, inſula eſt in Gotthico mari, regnoq́ Suuetiæ ſubiecta. Eſt enim multis rationibus bona, bonus in ea populus, boni & ſecuri in circuitu eius portus, bonus & electus in ea ager, bona armentis, equis, bobus, piſcatione, venatione, aquis, ſyluis, paſcuis, pulcherrimo marmore, & omnibus rebus humano vſui neceſſarijs. Producit etiam arietes, ſiue verueces, cæteris robuſtiores & proceriores, quibus quaterna, vel octona cornua creſcunt, tantumq́ ferociæ à cornibus mutuant, vt tempore coitus, niſi ſerra vel lima demantur, cæteris animantibus ſint nocumento, ipſiq́ paſtori rebelles. Eſt in hac inſula Boreali parte præclarum oppidum Viſbÿ cum arce munitiſsima. Ab hac etiam inſula in omni nauigantium controuerſia, præſertim à conſulatu Viſbÿcenſi, petitur, & datur ius, & ſententia diffinitiua, quid vnicuiq́ permittendum, vel auferendum erit.

Oelandia etiam vna ex inſulis Gotthici maris, breuiſsimo maris interiectu à Gotthia meridionali diuiſa, omnium inſularum pulcherrima: multis enim bonis adeò referta eſt, quòd ſpatij breuitatem (duorum dierum itinere abſoluendam) ſoli fertilitas recompenſet. Prata, & campi odore herbifico, indicibili ſuauitate mirabundi. Ibi plurimi greges equorum paruorum, ſed validiſsimorum, vtputa qui fortitudine, & agilitate multis eximij corporis equis præualeant, quouſque domeſtici & exotici negotiatores pro voluptate emunt, atq́ in terras remotas, veluti naturæ miracula venales exportant.

Eſt et Selandia, inſula cui à mari, quod circumluit, nomen eſt, Germani enim See mare, Land oram aut terram vocitant, ſub Danorum Regis dominio. Ciuitates in ea celebres ſunt Roſchildt Epiſcopalis, & Hafnia, quæ vulgò Coppenhagen & Kopmanhafen, id eſt, mercatorum portus vocatur. Ibi etiam eſt ſedes Regia, & ſtudium vniuerſale.

Adiacent & aliæ plurimæ & iucundiſsimæ inſulæ, quæ herbis, arboribus & graminibus, maximam recreandi delectationem exhibent, quas breuitatis cauſa, conſultò prætereo.

CAPVT XX.

De America, Spagnolla, Iſabella, & alijs inſulis ab Hiſpanis inuentis.

AD occidentem terra eſt, quam Americam vocant. Primùm quidem per Chriſtophorum Columbū Genuenſem, anno domini 1492. inuenta, deinde ex mandato Regis Caſtiliæ anno Chriſti 1497. ab Americo Veſputio Florentino illuſtrata, & ab eodem nomen ſortita. Nunc verò propter eius magnitudinem Nouus Mundus appellatur, & licet Ptolomæo & antiquioribus propter nimiam eius diſtantiam incognita permanſit, ſunt tamen nonnulli, qui à Platone ſub nomine Atlantis deſcriptam opinentur, inquitq́; Marinæus Siculus in Chronico ſuo Hiſpaniæ, hic nummū antiquum Auguſti Cæſaris effigie inſignitum, in aurifodinis inuentum eſſe, miſſumq́; in rei veritatem Summo Pontifici, per D. Joannem Rufum Archiepiſcopum Conſentinum. Ariſtoteles etiam in libro περιθαυμασίων ἀκουσμάτων *ſcriptum reliquit, Trans Herculis, inquiens, columnas in eo mari, quod Atlanticum dicitur, inuentam quandam inſulam à Carthaginenſium mercatoribus olim fuiſſe aiunt, à nullis ante id temporis habitatam, præterquàm à feris, & propterea ſylueſtrem admodùm, & multis refertam arboribus; alioquin fluminibus plurimis ad nauigandum aptiſſimis plenam, ac incredibili quadā omnium rerum naſcentium vbertate profluentem, ſed remotam à continenti plurium dierum nauigatione, ad quam cùm nonnulli Carthaginenſium mercatores fortè acceſſiſſent, captiq́; eius loci fertilitate, ac aëris clementia, ibi ſedem fixiſſent, commotos ob id Carthaginenſes ferunt, ſtatim conſilio publico decreuiſſe, morte indicta, ne quis poſthac illuc nauigare auderet, & qui iam ierant, ſtatim interfici iuſſiſſe, ne ipſius inſulæ fama perueniret ad alias nationes, ſubmitterenturq́; alicui fortiori imperio, ac fieret quaſi oppugnaculum quoddam aduerſus eorum libertatem. His ex dictis Ariſtotelicis clarè liquet, terras in occidente inuentas, Americam ſcilicet cum inſulis vicinis, prioribus etiam ſæculis cognitas fuiſſe. Habet autem America multas regiones & gentes, & ſi quis conditiones earum & mores ſcire deſiderat, hæc pauca, quæ ſequuntur, legere ne grauetur.*

Incolæ igitur, qui propiùs Æquatorem conſiſtunt, Canibales ſiue Caribes vocantur, hosq́; nullus eſt qui videat, quin ſcalpi ſibi horrore quodam præcordia fateatur, adeò atrox tartareusq́; eſt illis à natura, & immanitate inſitus proſpectus. Humanarum enim carnium ſunt heluo-

heluones. Nam omnes homocupijs inuigilant, & ſi hoſtes deſint, quibus cum bella gerant, in ſeipſos ſæuitiam conuertunt, & proſtrant, capiunt, aut fugant. Quos pueros capiunt, vt nos gallos gallinaceos, aut porcos, quos ad obſonia volumus pinguiores & teneriores educare, caſtrant, grandiores & pingues effectos comedunt, ætate autem iam matura cùm ad eorum manus perueniunt, peremptos partiuntur, inteſtina & extremas membrorum partes recentes epulantur membra ſale condita, vt nos pernas ſuillas, in tempora ſeruant. Mulieres comedere apud eos nefas eſt & obſcænum, ſi verò quas aſſequuntur iuuenes, ad ſobolem procreandam, non aliter atque nos gallinas, oues, iuuencas, & cætera animalia, curant & cuſtodiunt, vetulas ad obſequia præſtanda pro ſeruis habent. Coëunt in promiſcuum nulla ſanguinis ratione habita, tot vxores ducunt, quot libuerit, atque natant ceu maris animalia.

Ab his Canibalibus ſiue Caribibus verſus Tropicum Capricorni in occidua tamen parte Peru regio eſt ſita, quæ anno Domini 1530. Cæſaris Caroli Quinti mandato & auſpicijs perluſtrata eſt. Quam etiam Nouam Caſtiliam ab inuentoribus nominant. Eſt autem omnium regionum, quæ hactenus inuentæ ſunt aromatum & auri ditiſſima. Nam tanta auri & argenti vis eſt, vt vaſa in contemptiſſimum vſum deſtinata, inde conflent. Neque minùs etiam in alijs rebus fœlix. Bis enim per annum frumento gaudet, vario animalium genere dotata, ſed feris tamen libera. Oues tantæ proceritatis in ea, vt vice equorum ipſi vtantur, tamq́ fœcundæ, vt fætus bis per annum edant. Habet & ciuitates legibus atq́ armis munitas, eſtq́ fluminibus, montibus, ac ſyluis nimirum in modum adornata. Incolæ verò prudentia, morum comitate, artium variarum peritia, commercia omnemq́ probitatem ſatis excolunt, Niſi quòd Chriſtum ignorent, qui tamen vt multis iam innotuit, ita ijs & cunctis alijs ſpiritu ducente innoteſcat, optamus & ſperamus.

Braſilia ſiue Terra Papagalli deinde ſequitur, vltra Tropicum Capricorni ſita, cuius incolæ paulò mitiores ſunt Canibalibus, numinis vice nihil colunt, lege tamen tantùm & inſtinctu naturæ viuunt, viri fœminæq́ nudi agũt, niſi ex plumis pſittacorũ quaſi pallium longo pòſt tergus relicto ſyrmate conficiunt. Thori maritalis illibatã fidem ſeruant. Labia, aures, genitaliaq́ perfoſſa lapidibus precioſis ornant forâs eminentibus.

Propiùs ad fretum Magellanicum à Ferdinando Magellano anno Domini 1519. inuentum, Terra Gigantum eſt, qui curſu tàm celeri

ſunt, vt equum curſu vincere poſſe videantur. Vagi ſunt, in tuguriolis latitantes, eosq́ ſecum tranſportantes. Pauperes ſunt, nihilq́ eorũ terra precioſi producit. Integuntur pellibus ferinis bellè conſutis, arcus ingentes telaq́ ſecum deferunt, capillos in modum Polonorum detonſos habent, obſtructos funiculo lanugineo, ad quem venaturi tela connectunt, cùm animam agunt morituri, magnus numerus ſpirituum malignorum ſeſe illis oſtendit, ea figura, qua apud nos pinguntur.

Ab altera verò parte Æquatoris Septentrionem verſus, Parias regio aurifera, thuriferaq́ eſt, Cuius incolæ genu tenus mares, fœminæ ſurarũ tenus, goſſampinis veſtibus incedunt. Feroces quoq́ ſunt, ſagittisq́ certant venenatis, & aduſtis præacutis ſudibus. Animalia reptilia, inſecta, quadrupedia etiam, à noſtris diſsimilia, multiformia, varia, innumeraq́, noxia tamen minimè præter leones, tigrides, & crocodilos habet. Habet & magnitudinẽ fluuiorum & numerum, inter quos vnus eſt Maragnonus nomine refertus piſcibus, cuius oſtium in Oceanum cadens paſſuum eſt paulò minus centum mille, ex altis montibus decurrens, quorum culmina Paradiſi delitias habere, ſunt, qui dicant. Habet & ſyluas coccineas, quarũ lignum mercatores Itali verzinum, Hiſpani verò Braſilium appellant. Caſsiam quoq́ fiſtulam febre laborantibus vtilem in magna copia gignit. Pſittacorũ verò apud eos non minor copia eſt, quàm apud nos palunbium aut paſſerculorum.

Hanc ſequitur Dariena, cuius vna pars tàm arcta eſt, exedentibus vtrinq́ Oceani fluctibus, vt quatuor tantùm milliaria contineat, hinc Oceanus Occidentalis, illinc Eous, Incolæ huius licet Religionis Chriſtianæ ignari ſint, legibus tamen & viuendi inſtitutis vtuntur, ſacraq́ faciunt ſuo ritu. In lectis penſilibus dormiunt, & domus ſimiles noſtris campanis habent. Sunt etiam ipſorum arma, non arcus, non ſagittæ venenatæ, vti habere indigenas illos Parienſes diximus. Cominùs hi certant vt plurimùm, enſibus oblongis, quos macanas ipſi appellant, ligneis tamen, quia ferrum non aſſequuntur, & præuſtis ſudibus aut oſſeis cuſpidibus, miſsilibus etiam ad prælium vtuntur. Et quia à natura ſoli, locus cænoſus, paludibus fætidis ſeptus eſt, & aëris inclementiæ frequens, ideò flaueſcunt, & turgeſcunt vultus eorũ, ſimilesq́ ictericis ſunt, quamuis arboreos natiuos fructus habeant multiformes, & variorum ſaporum ad vſum humanũ ſalubres. Et licet etiam maximã copiam habeant precioſarum gemmarum, vt ſunt topazij, adamantes, margaritæ & huiuſmodi genus aliæ, nulla eſt tamẽ de his cura, cùm auri faciem animo geſtent, auro tantùm inuigilant, aurum ſectantur.

Poſt hanc Cyamba regio eſt, ſalubris, amœna, clementia cœli optimè

fortu-

fortunata, & nulli terrarũ vbertate agrorum poſtferenda. Montana partim, partim etiam lata planitie nobilis, arborifera vbiq; herbidaq́; ac perpetuo vere autumnoq; gaudens. Myrobalanos etiam diuerſarũ ſpecierum, emblicos puta & chebulos, medicorũ appellatione, in magna copia nutrit. Nutrit & leones, tigrides, ceruos, capreolosq́; & alia huiuſmodi animalia, & volucres diuerſas. Huius incolæ ex palmarũ quodam genere macanas, id eſt enſes ligneos latos, & iaculares haſtas conſtruunt. Ad elegantiam etiam ſeipſos depingunt, quorundam pomorum ſucco, ad id in hortis nutritorum, nigris ac rubentibus, vti Agathyrſos legimus. Totum, inſiunt, alij corpus, partes alij, pleriq; autẽ tractim flores aut roſas effigiant, aut implicitos laqueos, ꝓut cuiq; ſedet appetitu.

Eſt & Beragua regio à Beragua fluuio aurifero denominata. Primùm à Petro Vmbria reperta, poſtea per Chriſtophorũ Colonum anno domini 1502. perluſtrata. Eſt terra altiſsimis repleta montibus, quorum cacumina nubes ſuperare creditur. Nam ad quinquaginta ampliùs milliaria attolluntur, & quia maiore ex parte ſqualida & ſterilis frugum eſt, ideò incolæ certis quibuſdam anni temporibus auro intendunt quæritando. Credunt enim ineſſe auro numen, quandoquidem ad id negotij minimè tendunt inexpiati, ex priſcorum religione, puta qui à coitu, & omni oblectamento abſtinent, cibisq; ac potu parciſsimè vtantur, vniuerſo legendi auri tempore. Solem etiam ab Horizonte ſurgentem venerantur, ac reuerenter excipiunt.

Huic proxima eſt Coluacana regio diues & elyſia, quæ turritis conſtat ædificijs, & oppidis ampliſsimis, nimirum quindecim, & alicubi viginti millium domorum. Sunt tamen non vbique connexæ domus, ſed hortis & cortibus interſecantibus, diſtant à ſeipſis, plateas habent mœnibus circũſeptas, in quibus fora nundinasq; exercent, vias ordine ſtratas, furnos, fornacesq́;, calcem ac lateres coctos habent, figulos, lignariosq; fabros, & artifices, mechanicarumq́; artium omniũ opifices aſſequuntur egregios. Quando nouos hoſpites ſuſcipiunt, qui pacem in illis terris admittunt, in amicitiæ fœdus ſibiipſis cum nouacula vel gladio lapideo ſanguinis parumper ex lingua vel manu, aut lacerto, vel alia quauis corporis parte, hoſpite inſpectante eruunt. Sacerdotes viuunt cælibes, & incorrupti. Quid ſit coire nemo intelligit, donec nubat. Nefas & morte piandum eſt aliter accidere. In fœminis mira caſtitas. Licet vnicuique potenti, poſtquàm vnam duxerit vxorem, habere pellices, quotquot voluerit, ſed nupta adulterio compræhenſa venditur à marito, primario tamen principi, à quo licet mulieris propinquis illam redimere. Nemini non coniugato fas eſt iungi

in menſa, vel eadem lance veſci aut poculo bibere, paremq́ coniugato ſe præbere.

Coluacanam Themixtitã, quæ & Mexico, regio ſequitur, olim ſub Magno Cham, à Ferdinando autem Corteſio anno Domini 1521. expugnata & Regi Caſtiliæ tributaria facta, plurimo abundat auro, & ingentibus pollet diuitijs. Abundat & maximis ſyluis, quæ omni tempore florent. Abundat & feris varijs, præſertim auibus diuerſorum colorum. Incolarum autem alij Idololatræ, alij Chriſtiani, Chriſti enim Euangelium per manus fratrum ordinis Sancti Franciſci ſemper ſeminatur, non ſolùm in Themixtitan, ſed & in tota Aſia Magna. Oppida permulta habet, ſed inter omnia nullum præſtantius aut maius eo, quod Temiſtelam appellant ſub Tropico ferè Cancri ſitum, lociq́ natura munitum. Eſt enim ſitum in lacu maximo, pontibus 1200. circumplexum, & ædificijs cum Dedali ſtructuris conferendis ornatum.

Hiſpania verò Noua, à Nunno Guſmano deuicta anno 1530. Terra eſt, quæ vbertate ſoli nulli terrarum cedit. Eſt enim in ea maxima auri copia, ſunt & artifices argutiſſimi. Eſt multùm amœna, fructiferaq́. Eſt populoſa & denſa varijs animalibus ſylueſtribus. Abundat frugibus, herbis & radicibus. Et vt ſemel dicam, habet omnia, quæ vſui humano ſunt accommoda. Alluunt regionem etiam multi inſignes amnes piſcoſi & nauigabiles.

Florida deinde vſq́ ad Baccaleam extenditur, quam quidam nauarchus Ioannes Pontius nomine, Reſurrectionis die adiuit, & ob id Floridam nuncupauit (vocat enim Hiſpanus Paſcha floridũ Reſurrectionis diem) regio eſt feraciſſima auri & omnium animantium. Habet enim campos amœniſſimos, montes excelſos, & fluuios placidiſſimos. Ciuitates inſuper & turres & domus affabrè conſtructas adeò, vt noſtra Europa non multò inferior habeatur. Populi in ea affabiles & contractus non fugientes, plures eorum icthiophagi ſunt, alij ophiophagi.

Demùm Baccalea eſt infra circulum Arcticum, quam Sebaſtianus Cabotus genere Venetus inuenit & eam ſic appellauit, eò quòd in eius pelago tantam reperit magnorum quorundam piſcium, tinnos emulantium, ſic vocatorum ab indigenis, multitudinem, vt etiam illi nauigia interdum retardarent. Huius regionis homines, licet pellibus tantùm cooperti incedant, tamen rationis haudquaquã expertes. Eſt in ea ingens vrſorum copia, ſed minimè hominibus noxij, qui & ipſi piſcibus veſcuntur. Inter denſa namq́ piſcium illorum agmina ſeſe immergunt, & ſingulos ſinguli cõplexos, vnguibusq́ inter ſquamas immiſſis in terram raptant & comedunt. Abundat etiam in plerisq́ locis

locis orichalco. Atq; hæc ſunt quæ de America eiusq; partibus, quantum lectionum peruigili cura comperimus: nunc ad Spagnollam, quæ caput & emporium eſt vniuerſæ liberalitatis Oceani, ſermonem conuertamus.

Spagnolla inſula ſiue Ophira, de qua legitur lib. 3. Regum cap. 9. & 10. à Petro Martyre modò Hiſpaniola dicta, quam ab Hiſpania diminutiuè appellant, adeò temperata & amœna eſt, vt neq; frigore vrgeatur moleſto, nec calore vexetur immodico, vt ſine rubore ſi comparetur Italiæ reginæ quondam orbis terrarum, multò beatior, longeq; fælicior reperietur. Perpetuo enim gaudet vere, perpetuoq; autumno. Frondeſcunt etiam ibi toto anno arbores, & prata vireſcunt. Hortenſia verò, vt ſunt caules, lactucæ, boragines, raphani, & huiuſmodi ſata intra ſextumdecimum; melones verò cucumeres, & ſimilia intra trigeſimum diem, ſatis coäleſcunt. Eſt incredibile auditu, ſpicam ibidem ſuperare lacerti craßitudinem, ſpithama longiorem, granaq; nutrire quamlibet duo millia & amplius. Eſt tanta omnium quadrupedum copia, vt iam & equi & coria boum & pecudum portentur in Hiſpaniam, deinde ad alias nationes. De coccineis arboribus, de aromatibus, de colore glauco, de maſtice, goſſampio, de electro & multis alijs eius prouentibus, ſatis multa Petrus Martyr ab Angleria copiosè, fideliter, eruditeq; docet. Mittit etiam hæc inſula lignum Guaiacum, quo noſtri tanquàm remedio præſentißimo aduersùs morbum gallicum vtuntur. Habet & aurum natiuum, montanum & fluuiale. Nullus eſt namq; fluuius, nulli montes, pauca planities, auro immunes. Vnde non immeritò (vt refert Joſephus libro 8.) etiam Aurea terra à quibuſdam nuncupatur. Nam ex ſola Spagnolla vehitur in Hiſpaniam quotannis quadringentorum & quingentorum interdum millium ducatorum auri ſumma: id autem ex quinta regia intelligitur, quæ ad fiſcum venit, octoginta, nonaginta & centum millium Caſtellanorum auri, & aliquando maior. Habet & quatuor flumina, quæ ferè portionibus æquis eam diuidunt ex altis montibus, vno ad Orientem, hoc Lunna dicitur, ad Occidentē altero, quod Attibunicus, tertio ad Meridiem, quod Háiba, ad Septentrionem quarto, quod Jáche appellatur. Sed de Spagnolla ſatis, ad Iſabellam tranſeamus.

Iſabella (Cuba vel Ferdinandina à quibuſdam dicta) ab Helizabeth regina, quam Hiſpanum idioma nuncupat Iſabellam, vocata eſt. Hanc ſecat mediam ab oriente in occidentem Cancri circulus, & moribus ſuperiori haud eſt dißimilis, ferro caret, ſed eius vſum lapis pellucidus ſupplet. Auri verò maximum habet prouentum, cui etiam

Hiſpani

Hiſpani præſunt, qui aurifodinas poſsident, multò ditiores quàm in Spagnolla reperiuntur. Unde vt nonnulli aſſerunt, plus quàm centum & octoginta millia Caſtellanorum auri (magnum opulentiæ argumentum) ſingulis annis tranſmittere ſolent in Hiſpaniam.

Inter Zephyrum & Auſtrum ſita eſt Iucatana inſula, cuius incolæ non lana, quia pecudes non habent, ſed goſsipio mille modis & varijs fucato coloribus veſtes conficiunt. Fœminæ à cingulo ad talum induuntur, velaminibusq; diuerſis caput & pectora tegunt, & pudicè cauent, ne pes aut crus illis viſatur. Turritas domus lapideas, aut ex lateribus, calce, arte, & induſtria confectas, templa magnifica, vias ordine ſtratas ac plateas habent. Nundinaria quoq; agunt commercia, ſed ſumma fide negotiantur, permutando tamen ſine pecunijs, ſuntq; recutiti.

Huic proxima eſt Cozumella, à Cozumellao regulo, cuius maiores huius inſulæ habitatores fuerunt, nomen habens, plana, ac gleba fortunatiſsima. Habet quoque aurum, ſed peregrinum ac aliunde allatum, melle abundat & fruticibus ac hortenſibus, volucribus etiam & quadrupedibus. Domus lapideæ ſunt, culmo tamen contectæ, vbi ſit lapidum penuria, ſed vbi ſit lapicidinarum copia, laminis lapideis conteguntur, marmoreos poſtes in plerisq;, veluti apud nos pleræq; domus habent. Cæterum incolarum œconomia & politia ea eſt, quæ de Iucatana. Geſtamina quoq; virorum ac fœminarum, non laneo vel ſerico, ſed ex goſsipio ſunt confecta.

Ad Zephyrum autem verſus, tres paruæ inſulæ ſunt Sacrificiorum dictæ, quibus cærimoniarum ritus perquàm horridus nomen dedit. Nam proles ſuas, marmoreis ac fictilibus dijs ſuis immolant, neque iugulis, ſed pectoribus apertis ex infauſta victima cor eruunt, ex cuius calido cruore idolorum labia illiniunt, reliquum fluere patiuntur in lacunam, inde in apertum, cor & exta comburunt, gratum fumum dijs ſuis fore arbitrantes. Torulos brachiorum & femorum, ac ſurarum pulpas edunt, præcipuè ſi hoſtem bello victum ſacrificauerint.

Inter has & Iucatanam inſulæ Veſtalium ſitæ ſunt, in quibus ſolæ mulieres habitant ſine virorũ commercio, vti apud nos cænobitæ. Certis tamen anni temporibus traijciunt ad eas viri, non coitus cauſa, ſed moti pietate, campos & hortos illis compoſituri, quo cultu queant vitam ducere.

His omnibus auſtralior eſt Iamaica læta fertilisq; inſula, benignitate ſoli fortunatiſsima, vno tantum monte contenta, ſationibus recipiendis aptiſsima, ac belli ſtudijs aſpera. Quam non minorem eſſe

Sicilia,

Sicilia,qui eam exactiùs tractauêre, aiunt, qui etiam de illius fœlicitate nihil negant.

Ab hac recta ad orientem Spagnollæ proxima & collateralis, Burichéna inſula eſt, ſiue S. Ioannis, culta populoſaq́; maximam habens auri copiam, & vbertate ſoli æquè fortunata ac Spagnolla. Regem habet vnicum, cui imperanti mira parent reuerentia accolæ.

Nec prætermittenda eſt Guadalupéa inſula corroſa duobus ſinubus (vti de Britannia maiore legimus, & Calidonia, quæ Scotia nunc eſt, ita vt penè fiant duæ inſulæ, portubus celebris. Id gummi reperêre ibi generari, quod pharmacopolæ Animen album vocant, ad capitis grauedinem ſua ſuffumigatione tollendam. Cuius arbor fructum producit cariotis ſimilem ſpithamalem. Aperta farinam videtur includere dulcem. Vti noſtri rurales caſtaneas & huiuſmodi pleraq́; ſeruant hyemandas, ita hi huius arboris cariotas. Eſt arbor ficulneæ ſimilis. Pineas hortenſes & cætera naturæ edulia cuncta, et hi aſſequuntur. Imò & putant ab huius inſulæ habitatoribus alias inſulas tot ſuauium fructuum ſemina habuiſſe.

Ab hac ad Meridiem Galanta iacet inſula plana, à pulchritudine ſua nomen habens, quia Hiſpanum idioma elegantes galantes appellat. Iacet & Madanina, vbi ſolæ mulieres habitant, quæ mamillam à teneris ſcindunt, quò faciliùs queant ſagittariam artem exercere, ad easq́; traijcere coitus cauſa viros, nec retinere mares, authores referunt. Deinde ad orientẽ ſex paruæ ſitæ ſunt, vocatæ Todos Sanctus & Barbata. Hæ autẽ licet ſcopuloſæ ſint ac ſteriles, cognitu tamen neceſſariæ ſunt nauigantibus. Ad Septentrionẽ verò eſt Inſula populoſiſſima dicta Monſſerratus altiſſimo monte celebris, & rerum omnium victu neceſſariarum copiâ pollens. Eſt & Altusbellus inſula ſic appellata, de cuius belluis marinis, præſertim de teſtudinibus mira ferunt authores.

Intra Tropicum Cancri autem & Arcticum circulum in mari Cathayo inſulæ ſunt, Archidona, Tortucarũ numero ſeptem, Martyrum ſex, Deabul, & Comello. Supra Iſabellam verò, Baxos, Sancta, Balaca, Baburca, Nabacea, Somento, Gary, Macubiza, Idecareriæ, Iucauo, & Magnana. In Baccaleo autem pelago, Boiuca aliâs Anagneo fonte perenni adeò nobilis, vt eius fontis aqua epota, ſenes reiuueneſcant, teſte Petro Martyre, Setefidades, Labermuda, Corterealis, Don Marco, De Vogo, & ſanctæ Crucis. In Oceano denique Occidentali (quas Hiſpani Las Axoras vocant) inſulæ ſunt. Faial, quæ & Noua Flandria, Gratioſa, Hocorno, S. Georgij, Alterura, S. Michaëlis, Sancta Maria, Frures, & Opico.

Reſtant adhuc aliæ hinc inde diſperſæ inſulæ, quas tamen libenter omiſimus, tùm quia non multis authoribus ſint celebratæ, cùm nihil precioſi adferant, tùm ne caput hoc in immenſum excreſceret. Quapropter inſtar nautarum, vela ventis dantes ad Meridionalem plagam iam proram dirigamus.

CAPVT XXI.

De Meridionali parte Africæ ab Alberico Veſputio inuenta, Noua Guinea, Braſilia, Terra ignis, Madagaſcar, & quibuſdam alijs inſulis.

A MERIDIE *quicquid vltra decimum ſextum gradum latitudinis Auſtrinæ, totum Ptolomæo incognitum fuit. Anno verò Domini 1501. ab Alberico Veſputio tota Africæ Meridionalis pars inuenta & perluſtrata eſt, hodieq; à Portugallenſibus circumnauigatur, qui à Portugallia ſoluentes rectà in auſtrum tendentes, primùm Gades inſulam prætereunt, deinde Mederam inſulam, quæ hodiè à Luſitanis incolitur, patetq; circuitu 40. milliarium. Ferax eſt ſaccari et vini, Cretico vino nequaquã cedentis. Pòſt Canarias adeunt inſulas. His relictis Caput Album petunt, vbi tellus tota eſt arenoſa & deſerta, alba & arida vſq; ad Nigritas. Succedit Capiti Albo Sinus Dargin et inſula eiuſdem nominis. Eſt & poſt Caput Album in mediterraneis locus, quem Hodenum appellant, & hic nullo clauditur muro, ſed diuerſorium eſt Arabum & ſtatio camelorum. Eius regionis incolæ viuunt ordeo & cariotis, quibus vbertim abundant. Mahumetum colunt, et Chriſtianos oderunt. Senega fluuius, qui has terras ſequitur & totam ferè Æthiopiam interiorem irrigat, Azanegos à regno Nigritarum diſterminat. Sunt autem Azanegi homines pauperes & mendaces, proditores & prauos ſeruantes mores. In regno Senegæ eſt locus nomine Tagaza. Vnde ingens copia petrei ſalis auehitur camelis Arabum. Cæterùm ferunt flumen Senegæ eiuſdem cum Nilo naturæ eſſe, eaſdemq; vices cum eo habere. Nam vt ille Ægyptum, ita hic Æthiopiam reddit irriguam. Rex Senegæ pauper eſt, et nullas habet vrbes, nec annuos redditus, & præterea regnum eius anguſtos habet limites. Habet autem ab oriente regionem Tuchmoram, à Meridie verò regnum Cambræ, verſus autem Septentrionem, Nigro fluuio clauditur. Sequitur Caput Viride, ſic appellatum quòd conſitum ſit arboribus denſiſſimis eiſdemq; virentibus continuo ferè anno. Huic finitimum eſt regnum Gambræ, in quo homines habitant*

tant feroces & ſæui, ſubditi cum rege ſuo magno regi Mellis, qui magnus Imperator Nebeorum dicitur. Habet regio illa elephantes ſylueſtres, qui non cicurantur. Huic regno ſuccedit verſus auſtrum regio Caſamanſæ à fluuio Caſamanſa ſic dicta. Hinc à ſinu Rubro reflectitur continens in orientem, & antequàm perueniturad Caput bonæ ſpei extremam Africanæ terræ aciem, occurrunt variæ gentes, inter quas quædã nudæ incedunt vt ex matris vtero exierunt, carentes omni verecundia. Nam non habent pannos neq; laneos neq; lineos, neq; bombicinos, quia nec eis indigent, nec habent propria, ſed omnia communia ſunt. Viuunt ſimul ſine rege, ſine imperio, et vnuſquiſq; ſibi ipſi dominus eſt. Tot vxores ducunt, quot volunt, & filius coit cum matre, & frater cum ſorore, & primus cum prima, & obuius cum ſibi obuia. Quoties volunt matrimonium dirimunt, & in his nullũ ſeruant ordinem. Præterea nullum habent templum, & nullam tenent legem, neq; ſunt Idololatræ. Quid vltra dicam? viuunt ſecundũ naturam, & Epycurei potiùs dici poſſunt, quã Stoici. Non ſunt inter eos mercatores, neq; comercia rerũ. Populi inter ſe bella gerunt ſine arte, & ſine ordine. Seniores ſuis quibuſdam concionibus iuuenes flectunt ad id, quod volunt, & ad bella incitant, in quibus crudeliter ſe mutuò interficiunt, et quos ex bello captiuos ducunt, non eorum vitæ, ſed ſui victus cauſa occidendos ſeruant. Nam alij alios, et victores victos comedũt, et inter carnes humana eſt eis cõmunis in cibis, & admirantur, cur nos non comedimus inimicos noſtros, et eorum carne non vtimur in cibis, quam dicunt eſſe ſaporoſiſſimam. Eorum arma ſunt arcus & ſagittæ, & quando properant ad bella, nullam (ſui tutandi gratia) corporis partem operiunt, adeò ſunt & in hoc beſtijs ſimulis. Inueniuntur etiam ibi varia auium genera, præſertim pſittacorum multiiugi coloris à quibus & terra illa Terra pſittacorũ denominatur. Inde tranſita apparet caput auſtrale, quod eſt Caput Bonæ ſpei, exceditq; hyemalem Tropicum nouem gradibus. Mox regio ſe ſinuat, quo ad Praſſum promontorium peruenitur, quod Ptolomæus terminum poſuit Auſtralem, vlterioremq; plagam appellauit terram incognitam. Inde iter patet ad Troglodítas, vbi eſt Zaphala aurifodina inſula, à qua tota vicinia & Perſis ſuum haurit aurum. Hinc tranſito regno Melindæ, per ſinum Barbaricum venitur in Oceanum Indicum Meridionalem.

Sub Tropico Capricorni Noua Guinea eſt, nuper inuenta, quam Andreas Creſalus Florentinus, videtur eam ſub nomine terræ Piccinnacoli deſignare, quæ an ſit inſula an pars continentis auſtralis, tempus rerum omnium iudex prudentiſſimus, aperiet. Nomen autem

mutuata eſt à Guinea Africæ Regno ob littorum, quam obtinent, ad inuicem ſimilitudinem.

Eſt & Braſilia Auſtralis permaxima regio verſus Antarcticum, ſe extendens aduſq; Melecham, & quid vltra, ad quam Luſitani duce Petro Aluaro Anno Dommini 1500. tempeſtate ſunt delati. Huius incolæ bonæ ac honeſtæ vitæ degunt, nec ſunt Anthropophagi, ſicuti cæteræ Barbaræ nationes, legem non habent neq; reges, ſed ſeniores venerantur, & eis obedientiam præſtant.

Propiùs autem ad circulum Antarcticum Terra ignis eſt à Ferdinando Magellano inuenta Anno Domini 1499. ſed nondum plenè cognita, terra fructifera auro atque porcellanis abundans, cuius Rex grauiſſimis pœnis vetuit, ne incolæ aduenas ad conſortium admittant.

Madagaſcar inſula, quam S. Laurentij nomine vocant, patet circuitu 4000. milliaria, habet nemora ſandalorum & omnia genera ſpecierum, nutrit etiam elephantes plurimos, & idcircò magna eſt in ea precioſi eboris nundinatio. Nutrit & leones, leopardos & lynces. Habitatores ſunt Saraceni & Mahumetiſtæ, nullum habentes regem, ſed quatuor ſenioribus per totam inſulam parent.

Huic haud diſsimilis eſt Zanzibar ſeu Zuacanar inſula, abundans leonibus, leopardis, & alijs varijs beſtijs ſylueſtribus.

Sunt & aliæ paruæ inſulæ, vt Omamoræ inſula, Dina Margabin, & Dina Arobij. Sunt & tres maiores Iona ſcilicet, Loſrocohos, & Callenzuan, quæ Gryphonum inſulæ vocantur.

Circumiacent & aliæ multæ inſulæ, quia verò nec colligi numero, nec exiſtimari, aut compræhendi vera deſignatione poſſunt, ideò lubens relictis illis tranſeo ad Orientalem plagam.

CAPVT XXII.

De India Orientali, Inſula Zipangri, Iaua maiori & minori, & quibuſdam alijs inſulis.

INDIA *orientalis Aſiæ terminus, quam Vaſcus Gama claſsis Luſitanicæ præfectus, itinere per Oceanū incognitum maximis laboribus facto, Luſitanis primus monſtrauit & patefecit, Anno ſalutis 1497. tàm vaſta perhibetur, vt eam tertiam omnium terrarum partem tradant. Appellationem accepit à flumine Indo, qui occidentalis eius eſt terminus. A Septentrione vſq; ad montem Caucaſum peruenit. Eſt terra ſaluberrima, & bis in anno metit fruges. Fert cinamomum, piper & calamum*

aroma-

aromaticum. Ebenum arborem etiam producit et moneceron beſtiam. Excellit pulchritudine cæteras mundi partes, diſtincta multis, quæ eam rigant, fluminibus. Eſt in ea incredibilis elephantorum numerus, & magna copia auri, argenti, ferri, æris & lapidum precioſorum. Habet ſyluas ſpacioſiſſimas, proceræ altitudinis arbores, & vmbroſas, leuantes æſtum Solis, aquas largas manantes fontibus. Eſt quoque in ea magna vis ſerpentum, ſquamis fulgorem auri reddentium. Nec eſt virus magis noxium, quia morſum præſens mors ſequitur, niſi mox remedium adhibeatur incolis notum. Cæterùm quoniam Indorum gentes multæ ſunt, diuerſæ & forma & lingua propter latiſſimum regionis tractum, non eiſdem omnes viuunt moribus. Eorum, qui in auroram ſpectant, alij rei pecuariæ deditι ſunt, alij non: Alij in paluſtribus fluminibus habitantes, crudis veſcuntur piſcibus, alij ſunt pecuarij, qui crudis veſcuntur carnibus. Sunt alij, qui nullum interficiunt animans, nec ſerunt, nec domos parant, ſed habent ſemen quoddam inſtar millij ſua ſponte creſcens è terra, quod cum ipſo folliculo lectum coquunt, eduntq́. Legimus quoque quoſdam tàm inſigniter auritos ibidem eſſe, vt aures ad pedes defluant, atque in alterutram earum decubent, quarum duricie arbores conuellant. Quoſdam etiam ſingulis pedibus & adeò latis, vt vbi ſe defendi à calore velint, reſupinati his totaliter inumbrentur. Sunt etiam, qui ceruicibus carent, & in pectore oculos groſſos fixos, cætera membra æqualia nobis habentes, quos Plinius & Solinus Blemmyos vocant. Tales D. Auguſtinus, cuius ſumma eſt authoritas, ſe vidiſſe in Æthiopia, teſtatur Sermone 37. ad fratres in Eremo. Sunt & monoculi vnum oculum in fronte tantùm habentes, & à conſeruationibus hominum plerunque fugientes. Apud nonnullos quoq; legitur quaſdam fœminas ibi ſemel tantùm parere, natosq́ canos illicò fieri. Eſſe rurſus gentem alteram, quæ in iuuenta ſit cana, nigreſcat in ſenectute, vltra æui noſtri terminos perennantem. Eſſe etiam alteram fœminarum gentem, quæ quinquennes concipiant, ſed vltra octauum annum viuendi ſpacia non protrahere, vt ſupra cap. 19. de Pygmæis dictum eſt. Quoſdam præterea homines cauda villoſa naſci pernicitatis eximiæ. Sed hæc & ſimilia parciùs ſunt referenda, quoniam magna opus eſt fide, vt pro veris recipiantur, cùm ne his quidem, quæ penè oculis ſunt admota, fides niſi grauatè adhibeatur.

Quoniam paucis ab hinc annis haud multis cognita fuit Iaponia inſula à M. Paulo Veneto, Zypangri, & olim Chryſe dicta, de ea hic nonnihil dicere viſum eſt. Eſt autem inſula latiſſimè patens, & cœli

 eandem

eandem ferè eleuationem cum Italia habens. Hæc à Magno Cham olim bello petita fuit, ſed fruſtra. Incolæ religioni, litteris, & ſapientiæ ſunt addictiſsimi, et veritatis indagatores acerrimi. Nihil illis frequētius oratione, quam more noſtro ſacris in delubris exercent, vnum agnoſcunt principem, à cuius imperio & nutu pendent. Sed & hic ſibi ſupremum habet, Voo illis dictum, penes quem ſummum eſt rerum ſacrarum, & religionis imperium, hic fortaſſe noſtro ſummo Pontifici, ille Imperatori noſtro aſsimilari poſſet. Huic plebs animarum ſuarum ſalutem credit. Vnum tantummodò Deum adorant, triplice capite effigiatū, cuius nullam tamen reddere norunt rationem. Infantes apud hos baptiZantur, ieiunijs in pœnitentiæ teſtimonium corpora macerare ſtudent, crucis ſignaculo contra dæmonum inſultus, vti nos, ſe muniunt, adeò vt in religione, & viuendi more Chriſtianos imitari videntur, quos tamen, laudandi Societatis Ieſu Profeſſores, maximis laboribus in totum Chriſtianæ religioni imbuere ſatagunt. Deus Opt. Max. pijs eorum conatibus pro ſua immenſa pietate protegat, eosq; ad diuini ſui nominis gloriam ac religionem Catholicam, quam profitemur, latè propagandam diu incolumes conſeruare, & poſtremò aduerſus omnes Eccleſiæ hoſtes triumphum præſtare dignetur.

Iaua maior, quam incolæ Iao nominant, cuius rex affinium inſularum regibus dominatur, & ipſa in quatuor regna diuiſa, æs atq; aurum mittit. Habet & ſyluam nucum muſcatarum & aromatum copiam. Habet & cultores admodùm varios, omnes tamen legibus ac rituum obſeruationi addictos, ſed varijs. Nonnulli enim Idololatræ ſunt, quos Caphranos vocant, qui vxores ducunt quotquot placet, ſed vbi maritus vita deceſſerit, vxorum chariſsima cum defuncto viro crematur. Alij verò Anthropophagi, ægros enim quos de vita deſperare vident, mactant, mortem naturalem præuenientes, vt eſui ſint ſuauiores. Ita etiam parentes, quos ad vitæ actionem cenſent ob ſenium incommodos, alijs eſitandos vendunt.

Iaua minor verò octo complectitur regna, & incolarum partim Anthropophagi ſunt, partim Idololatræ. Nutrit Rhinocerotes, profert & magnam copiam piperis, nucum muſcatarum, ſpici, glangæ, & cæterorum aromatum.

Eſt & Porne inſula, quæ Burne vel Burnea dicitur, tantæ magnitudinis, vt trimeſtri ſpacio vix obiri poſsit, cuius incolæ gentiles ſunt, iuſtitiæ tamen pacisq; atq; amicitiæ ſtrictiſsimi cultores. Ædes eorum exiles ex ligno terraq; conſtructæ: vxores ducunt, quot alere poſſunt. Panem ex oriZa conficiunt. Potum liquor, qui de conciſis palmarū ramis

mis exprimitur, præſtat. Argento viuo epoto morbum depellunt, ſanitatemq́ tuentur, Margaritarum ferax eſt inſula, nam aliquando ad oui gallinæ quantitatem reperiri ferunt.

Non longè hinc aliæ duæ inſulæ ſunt Bibalon & Cimbaubon, vbi crocodilos eſſe dicunt, & arborem cuius folea defluxa vita aſſumpta mouentur animantium modo.

Eſt et Mauthan, vbi acerrima cum Hiſpanis fuit pugna, in qua & Ferdinandus Magellanus dux & præfectus nauium inuictiſſimi Cæſaris Diui Caroli, alter maris Neptunus confoſſus eſt.

Hinc Maſſana inſula eſt, cuius incolæ aurũ, quod in copia habent, pili faciunt, nam pro rebus vilibus & quiſquilijs multum ſæpe auri commutant. Gens eſt agilis multùm, nuda natura tantùm obtecta, fœminæ infra vmbilicum obuelantur capillis ad talum vſq́, eædem in cadauerum iuſtis faciendis miſerabiles luctus exercent, incumbentes cadaueri, os ori manumq́ manui applicando.

Seilam quoque inſula in hoc Arcipelago ſita, ambitu ſuo trecenta complectitur milliaria, & cinamomo, malis aureis & rebus alijs abundat. Tanta præterea aëris ſalubritate & loci amænitate gaudet, vt incolæ perſuaſum habeant, paradiſum nuſquam alibi fuiſſe, hodiè ſub Luſitanis.

Nec diſsimilis huic eſt inſula Inuacana diues auri, omniq́ genere aromatum locupletiſſima.

Subuth etiam inſula, auri & Zinziberis diues eſt, cuius incolis truncus arboris palmis verè ſimilis pro pane eſt, potus verò ex palmarum ramis conſciſſis exprimitur.

Sunt et nobiliſſimæ ac famatiſſimæ illæ Molucæ inſulæ vltra citraq́ Æquatorem verſus orientem extremum ſitæ, quarum nomina ſunt Taranata, vbi Ieſuitarum Collegium celeberrimum, quod Molucanum dicitur. Titore, Motir, Machian, & Bachian. Sunt autem hæ inſulæ Gariophylorum, nucis myriſticæ, cinamomi, ac aromatũ omnis generis fertiliſſimæ, vnde harum beneficio totus penè orbis aromatibus impletur.

Inſulæ autem infra Molucas poſitæ Sindæ generatim vocantur, quarũ præcipuæ ſunt quatuor. Gilolo ſcilicet inter has maxima, cuius incolæ id, quod primum mane egredientibus ſeſe obtulerit, pro numine habent, quorum quoq́ fœminas vento concipere fabulantur friuolè.

Celebes, cuius incolæ à Didaco Magellano profundiſſimo Theologo ex nominis IESV SOCIETATE *in* CHRISTI *fidem ſunt conuerſi, Anno Domini 1564.*

Ambuon

Ambuon, cuius incolæ veſcuntur carne humana, adeò vt pater filios epuletur, & viciſſim nati parentem, prout ſors tulerit & euentus, & Timor vbi ſandalum vbertim prouenit, quod ſolenni & rata lunæ curſus obſeruatione colligitur.

Iacent & in Oceano verſus Americam ſub Æquinoctiali circulo inſulæ duæ Latronum, quibus nefandiſſimi nomen dedêre mores incolarum, qui furto & latrocinijs plurimùm ſunt dediti.

Eſt & Candin inſula ſatis magna, quæ ab orbe medio diſſidet auſtrum verſus partibus quaſi 17. vbi miræ magnitutidinis piſces videntur, habentes vnum tantùm oculum in fronte.

Demùm ſunt duæ inſulæ ſub Tropico Capricorni ſitæ, & Infortunatæ dictæ. Dictæ autem ſunt infortunatæ, quia cùm ad has applicuiſſent Hiſpani, duce Ferdinando Magellano ex Freto Magellani per altum mare delati, ſteriles inhabitatasq; inuenêre, biduum tamen ob commodam piſcationem conſumptum eſt.

Cæterùm quia ſunt adhuc innumeræ aliæ inſulæ, piſcationibus & culturis aptæ, atq; varia rerum vbertate prædicandæ, quas neque benè tritas habent authores, neque opus eſt tàm tenuiter farinam hanc cribrare, conſultò prætereo. Satis eſt intelligere paratas nobis eſſe terras immenſas, quæ & noſtras gentes & linguas & mores ac religionem, aduenientibus annorum curriculis ſint amplexuræ, opitulante domino noſtro IESV CHRISTO, *qui eſt benedictus in ſecula.*

Atq; hæc ſunt, Candidi lectores, quæ ad reipublicæ litterariæ gratiam, profectum & vtilitatem ex multis Geographis ac fide dignis Scriptoribus, oſtendens, qua quæuis terra prædita ſit virtute, quid potiſſimùm producat, quæ nutriat animalia, quos & quales contineat homines, conflaui, ac ea qua potui breuitate, in publicum promere in re tàm vtiliſſima non ſum grauatus.

Cætera conticeo, hic non poſſunt omnia dici,
Hiſtorias ſtudioſus habet, quæ cuncta recenſent,

F I N I S.

Lectum hunc librum fidei orthodoxæ nihil habere contrarium comperi, quare typis eundem mandari poſſe iudicaui.

Petrvs Stevartivs Leodius Collegij Theologici hoc tempore Prodecanus.

ACCLAMATIO HEROICA,

AD INSIGNEM NOBILITATE, VIRTVTE, ET ERVDITIONE VIRVM, DOMINVM IOANNEM MYRITIVM MELITENSEM &c.

Inſcripta

AB EDMVNDO HOLLYNGO ANGLO, MEDICINÆ DOCTORE, ET APVD INGOLSTADIENSES Profeſſore.

VRANIA Aonidum ſeu te decus ipſa ſororum,
Seu (quod crediderim) rutilans ſuper æthera vexit
PHOEBVS, & oſtendit, quæ ſit tibi machina mundi,
Quis circumſcriptus ſinuoſi terminus orbis:
Haud equidem in cœlum vel te duxiſſe, MYRITI,
Fruſtrâ, hæc vel fruſtrâ tibi commonſtraſſe videtur:
Namq; aduertiſti, docuit quæ ſingula ſolers,
Sedulus obſeruaſti oculis quoq; plurima auaris,
Quæ tacuit, nunc huc nunc illuc lumina torquens
Lyncea, resque omnes tacita ſub mente recondens.
Quod ſanè apparet, dum tantæ munera molis
Aggrederis, nullique hominum, nullique deorum
Cognita, quæ ſpiſsis ſemper latuêre tenebris
Occultata refers, arcanaque detegis illa,
Quæ non emenſus ſpatioſum Clauiger orbem
IANVS, non plantis pinnatis ſydera verrens
MERCVRIVS, non qui ſtygias penetrauit ad oras
ORPHEVS, aut alius quiſquam reſerare valebat:
Dumque ea ſic aperis, tàm culto promis & ore,
Vendicet ipſa tibi vt dulcis facundia palmam.
Abdita naturæ IOVIS & penetralia nam quis
Te prior ingreſſus, quæ ſint commercia terris
Cum cœlo, proprijs quid cauſis vbera terræ
Contineant, vada quid ſcopuloſi turbida ponti,
Arcesque Aëriæ, faciat quid flammiger ignis,
Quam ſedem obtineat, quas proxima corpora vires

Sydera poſsideant, oriens obiensq; quid omnis
Stella ferat, tanto ſtudio & molimine mentis
Comperit, aut comperta venuſto clarius ore
Protulit, hoc quàm tu profers vir docte libello ?
　Eia igitur, pergas, & quod promittis amico
Lectori, præſtes, atq; his maiora refundas:
Sic tua laus, ſic ſumma tuæ præconia laudis
Æternùm viuent, viuet tua fama perennis:
Sic tua nobilitas decorata inſignibus iſtis
Virtutum, euadet rutilis rutilantior aſtris:
Sic tua ſe in patulum diffundet gloria mundum,
Gloria quæ nullo viuet delebilis æuo,
Sicq; tuum præſens nomen venerabitur ætas,
Et ventura tuum celebrabunt ſæcula numen.

EPIGRAMMA.

IN LAVDEM EIVSDEM OPERIS GEOgraphici, *quo cum vtilitas, tùm methodus, qua autor in hoc opere vſus eſt, commendatur, Heroico carmine Græco ſcriptum*

Autore* IOANNE RITTERIO *V. I. D.

Ὅστις παντοδαποὺς χώρους τοῦ κόσμου ἰδέσθαι
ἔλδεται, ἠὲ τόπους τῆς γαίης ὄμμασ', ὁρᾶσθαι
ἢ τοὺς παντοίους ποταμοὺς, δῖαν δὲ θάλασσαν
ἠὲ ῥόους βλέψαι ἱμείρεται Ὠκεανοῖο.
ὅντινα ἢ θυμὸς κέλεται, κραδίη καὶ ἀνώγει
τὰς ζώνας γνῶναι τοῦ οὐρανοῦ ἀστερόεντος
ἠὲ μαθεῖν κύκλους τῶν ἄστρων οὐρανοπήκτων
τῆς δὲ σεληναίης, τοῦ δ' ἠελίοιο πορείας
οὗτος χερσὶ λάβῃ ταχέως τὴν βίβλον ἐνῆσι
τὴν καὶ σπουδαίως ἀναγνώσῃ, ἔμφρονι θυμῷ
ἣν ὁ Ἰωάννης συνέγραψε Μυρίτιος ἀνὴρ
καὶ παρέδωκε νέην τοῖς δελτογράφοισι τύποισι
τὴν μεγάλῃ σπουδῇ ἐκ πολλῶν ἔξοχ' ἀρίστων
συλλέξας, καθάπερ τὶς κηροδομοῦσα μέλισσα.
Ἐν τῇ εὑρήσει αὐτὸς γὰρ ἅπαντα, ἃ γνῶναι
τοῖς πᾶσιν πέλεται θέμις, ἢ δέον ἐστὶν ἅπασιν
οἷς φίλον ἐστὶ γραφὴν τῆς γαίης φρεσὶ νοῦσαι.
καὶ κατὰ τὴν τάξιν τοῦ ὀρανοῦ ἄστρα νέμεσθαι
παντ' οὖν, ὃν τις ἔρως, ἢ ἵμερος ἔλλαβε θυμὸν
ταῦτα μαθεῖν, μελέτω αὐτὸν τὸν ἑὸν κατὰ θυμὸν
τὴν ἀναγινώσκειν βίβλον, ἧς κρείσσονα ἄλλην
οὐδεὶς τῶν πάντων, τὸ πάρος, ἢ πρόσθεν ἔγραψε.
Αὐτὴ ἐπεὶ μεθόδῳ τῇ ὠφελίμῳ συνελέχθη
ἠδὲ ὁμῶς ἔπεσι παύροις σύνεκλεισε τὰ πλεῖστα,
ὅππως εὐχερείᾳ τῇ ἐῇ τὰ πέλωρα δύνηται
βίβλια νικῆσαι, πάντων γραφθέντα παρ' ἄλλων.
ἧς εὐεργεσίης χάριν εἵνεκα ἀνδράσι πᾶσι
τῆς ἀπολαυομένοις βίβλου θέμις ἐστὶ προσάπτειν
τὰς χάριτας πλείστας νῦν τῷδε γράψαντι, καὶ εἴδειν
ἠδὲ ἅμ' εὔχεσθαι, ὡς ζήσας ἤματα πολλὰ
ζωὴν ἐκτελέῃ ἀγαθὴν μέχρι γήραος οὐδῷ.

QVOD

QVOD EPIGRAMMA LATINO carmine ab eodem autore ita eſt donatum.

OMnigenas mundi partes quicunq; videre,
Aut quicunq; cupit vaſtæ loca cernere terræ,
Aut omnis generis fluuios, vada cœrula ponti
Oceaniúe patris, qui fluctibus alluit orbem.
Aut quem fert animus, trahit aut immenſa cupido
Stelligeri aut Zonas, vel climata noſcere Olympi,
Scrutari aut orbes aſtrorum luce micantes
Lunaremúe globum, cœli aut ſpirabile lumen:
Præſentem hic capiat manibus, verſetq; libellum
Et nunc ipſum animo voluat, nunc mente reuoluat.
Quem modò conſcripſit ſapiente MYRITIVS arte,
Impreſſumq; typis ſub luminis edidit oras,
Scilicet hunc magno comportans ipſe labore
Mellificæ inſtar apis, multis è millibus vnum
Hîc etenim inuenies lector, quæ ſcire neceſſe eſt
Aut quæ ſcire decet, noſſe aut quæ pectore oportet
Illos, qui cupiunt caput hanc efferre per artem.
Ordine diſpoſitas cœli ſtellasq; notare.
Quisque igitur, cui ſumma animi hæc didiciſſe voluptas
Ac didiciſſe placet, nunquam contendere ceſſet.
Hunc verſare oculis noctesq; diesq; libellum
Hactenus vtilior quo non eſt editus alter.
Is ſiquidem facili conſtat ratione docendi,
Atq; ſimul paucis comprendit plurima verbis
Sic vt commoditate queat ſuperare libellos,
Quos alij autores lucis miſêre ſub auras
Pro quo tam docto, tàm præſtantiq; labore
Fas eſt lectores præfati ſæpè libelli
Autori ſemper dignas perſoluere grates,
Atq; rogare DEVM, longæ vt poſt tempora vitæ
Proſpera fata ſenem maneant in fine ſenectæ.

ΔΕΚΆΣΤΙΧΟΝ.

IN STRENVI, VEREQVE NOBILIS D. PHILIPPI RIEDESEL à KAMBERG, COMMENdatoris in Erlingen, ac Hieroſolymitanæ militiæ per Germaniam Quæſtoris inſignia, boni nominis & ominis ergô elegis Græcis conſcriptum Autore IOANNE RITTERIO V. I. D.

Σήματα ταῦτα ἔχει ὁ ἀνὴρ τοῦδ' ἐστὶ φίλιππος
    οὔνομα, ᾧ καὶ ὄνος δῶκεν ἐπωνυμίαν.
Ὥσπερ τῷ τ' αὐτοῦ ἀρετὴ χρύσεια τὰ τεύχη
    Δῶκε φέρειν, μόχθων τίμι' ἄποινα ἑῶν.
Οὓς ἔτλη ἐπὶ γῆς, καὶ πόντου πολλὰ μογήσας
    Αἰχμητὴς κρατερός, καὶ μεγάτολμος ἐών.
Ὅττε μάχεσθ' αὐτὸν κρατερὴ ὤτρυνεν ἀνάγκη
    καὶ γῆς πατρώας σῶσαι ἐλευθερίαν.
καὶ τῶν μὲν τούρκων πλῆθος μέγα ἶσαι δαμάσας
    Αἰσχρὸν ἀποτρέψαι δουλοσύνης τὸ ζυγόν.




SEQVITVR
SVA FAMA
SEPVLTOS.
IOANNES MYRITIVS MELITENSIS, ORDINIS
HOSPITALIS · S · IOANNIS HIEROSOLYMITANI,
COMMENDATOR ALEMANI MONASTERII AC
DOMVS RATISPONENSIS. 1 5 8 7.

ΔΕΚΆΣΤΙΧΟΝ.

IN EFFIGIEM JOANNIS MYRITII MELITENSIS ORDINIS HOSPITALIS S.

Ioannis Hieroſolymitani commendatoris Alemanni monaſterij, ac domus Ratisbonenſis, anno ætatis ſuæ 53.

Eodem autore.

ΕΝ θάδε τοῦ μεγάλου, ἐσθλοῦ δὲ Μυριτίου εἶδος
τοῦδ' αὐτοῦ μορφὴν, τὸ ἢ καὶ ὦπα βλέπεις.
Ἦν τότε ἐν ταύτῃ χάρτῃ τοῦ ζωγράφου ἀνδρὸς
τῇ ἐνὶ καὶ σελίδι, χεὶρ ἐχάραξεν, ὁμῶς.
Πεντήκοντα ἔτη καὶ τρεῖς δὴ ὅταν βιοτεύσας
ἤρξατο τῇ κεφαλῇ γήραϊ λευκὸς ἔμεν.
Οὔ ποτέ τις θνητῶν τοῖς ὄμμασιν εἰκὸν ἀθρήσας
κηρόθεν εὐχέσθω ῥήματα τοῖα λέγων.
Νηλέιδαο δίκην ὁ Μυρίτιος ἄξιός ἐστι
ὡς ζήσῃ ἐτέων πουλὺν ἄριθμον. Ἀμήν.

ἙΞΆΣΤΙΧΟΝ.

IN INSIGNIA EIVSDEM JOANNIS MYRITII MELITENSIS &c.

Eodem autore.

ΤΑῦτα Ἰωάννης φορέει ὁ Μυρίτιος ἀνὴρ
στέμματα, ὡς ἀρετῆς σήματα δῆλα ἑῆς.
τῶν καὶ ἑῶν ἔργων, καμάτων θ' ὡς ἆθλα πρέποντα,
οὓς ἐπὶ τῆς γαίης, οὓς θ' ὑπέδυσεν ἁλός.
ὅππαν τοὺς μιαροὺς τούρκους περὶ χαλκῷ ἀνεῖλε
τῆς περὶ ἧς πάτρας ἶφι ἀμυνόμενος.

ERRATA SIC reſtitue.

Prior numerus paginam; poſterior verſum deſignat.

In præfatione ad Lectorem 7. petitioni. ibid. 23. litterarum. In epiſt. dedic. altera facie 3. μνημόσυνον. 4. 25. ſcurrilis. 6. 2. nonæ. 9. 9. Zodiacus. ibid. 14. Similiter. 19. 18. Cambyſis. 20. 18. Tertium Clima. 21. 1. dele Caput Sextum. ibid. 3. adde cap. 6. pòſt Almageſti. 22. 19. nunc. ibid. 29. minuta. 24. 3. circulus. ibid. 4. Horizon. 30. 32. fierent. 31. penul. inuia. 35. 12. vice. 36. 27. Similiter. 37. 19. graduum. 40. 12. hæmiciclis. 41. 18. oportet. 42. 23. latitudinem. ibid. 29. requiritur. 54. 3. propoſitorum. 56. 34. Geometricis. 58. 5. diuidas. 62. 8. Bœtica. 67. 7. nec. 72. penult. principatu. 77. 32. attraxerunt. 78. 7. tofo. ibid. 14. Strongyle. 85. 8. patria. 87. 13. Tingitanam. ibid. 23. Gibaltrar. ibid. 34. Iulia. 88. penult. Gaulos. 90. 8. vetuſtiſſima. 92. vlt. meminit. 97. 14. cognominata. ibidem 28. , extima. 99. 3. petræa. 100. 13. initiatrix. 101. 28. , gurges. 106 4. ignes. ibidem. 23. Carmania. 109. 16. quem. 113. 15. ſiccati. 11.7. 26. mirum. 125. 23. Sanctos. 125. 26. ſimiles. 128. 33. ſpicæ, galangæ. Reliqua prudens quiſq; facile emendabit.

INGOLSTADII,

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA WOLFGANGI EDERI.

*I*VSTITIA.

*I*VSTITIA *æquato lances examine geſtat,*



*Et gladium, ſua dat præmia cuiq; D*EVS.

*Æ*QVA *L*ANCE.

Cum Gratia & Priuilegio Cæſ. Mai.

ANNO

M. D. LXXXX.

.0383g.

J510
- M1980
cop. 1